LECTIONES TULLIANAE

SCRIPSIT W. G. PLUYGERS.

CAPUT III.

Orationem frumentariam, quae Verrinarum actionis secundae tertia est, hoc capite percurram, nondum abiecto consilio quod suscepisse me significavi, ut non tantum de iis locis disputarem quos ipse correxisse mihi viderer, sed etiam eos proferrem quos ab aliis emendari vehementer cuperem.

LIBER II.

§ 19 et 20. Quo tempore Sicilia in provinciae formam redacta est agro Siculo, qui iam antiquitus decumanus erat, non modo novum vectigal nullum impositum est, sed ne antiqua quidem lex venditionis decumarum ab Hierone rege instituta commutata est. Itaque hoc iure ante Verrem praetorem Siculi semper usi sunt, ut decumae lege Hieronica venderentur: videbant enim prudentissimi viri, qui provinciam administrarent, minus molestum fore muneris illius functionem, si eius regis, qui Siculis carissimus fuit, non solum instituta, verum etiam nomen maneret. Verres primus spreta auctoritate superiorum omnium hanc consuetudinem a maioribus traditam commutare ausus est. *Itane vero? prudentissimi viri — nomen Hieronicae legis mutare noluerunt: tu — totam Hieronicam legem sustulisti? At quam legem corrigit, iudices,*

atque adeo totam tollit? acutissime ac diligentissime scriptam: quae lex omnibus custodiis subiectum aratorem decumano tradidit, ut neque in segetibus, neque in areis, neque in horreis, neque in amovendo, neque in exportando frumento grano uno posset arator sine maxima poena fraudare decumanum. Haec reprehensionis aliquid aut certe admirationis habitura apud omnes esse arbitror qui animadvertant quam imprudenter orator et parum accusatorie legem illam quam Verrem totum sustulisse dixerit, eam continuo ab eodem correctam esse dicat: in qua re ille minus sane culpandus esset, quam si totam sustulisset: tum se ipsum quod crimen minuisset quasi reprehendens addat: *atque adeo totam tollit.* Suspicor Ciceronem scripsisse: *At quam legem, iudices: acutissime ac diligentissime scriptam* etc., qua orationis forma mirum in modum delectatur; vide Verr. II § 160, III § 75, IV § 22.

In sequentibus libri praebent *in asportando* et *in exportando frumento* quorum neutrum placet. Nam *asportare* ab hac re alienum est; *exportare* autem non est aratorum sed decumanorum. Aratores frumentum ex agris et areis *amovent*, decumas ad aquam *deportant.* Itaque lego in *deportando frumento;* cf. § 36 et seq.

§ 22. Eorum omnium quos Verres ministros cupiditatum habebat, per quos Siciliam per triennium vexavit, princeps erat Q. Apronius. Homo Verri reo in iudicio praesto est. *Hic est Apronius, quem in provincia tota Verres cum undique nequissimos homines conquisisset et cum ipse secum sui similes duxisset non parum multos, nequitia, luxuria, audacia sui simillimum iudicavit.* Quos magistratus provincialis comites habet ex Urbe secum profectos, eos dicitur secum eduxisse: Verr. II § 28: *Primum omnium opera danda est ut eos nobiscum educamus, qui nostrae famae capitique consulant.* Pro Oppio: Fragm. apud Orell. Vol. IV. Part. II. pag. 444: *quos educere invitos in provinciam non potuit eos invitos retinere qui potuit?* Itaque supra repono: *cum ipse secum sui similes eduxisset.* Simillimum scripturae vitium in § 26. Hotomannus sustulit: *Quid praetereo? An illud, ubi — miseros respicis aratores? edicis enim* etc. libri omnes *dicis.*

§ 23. *Hunc in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat: tantamque habet morum similitudo coniunctionem atque concordiam, ut Apronius qui aliis inhumanus ac barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur, ut quem omnes odissent neque videre vellent, sine eo iste esse non posset, ut cum alii ne conviviis quidem isdem, quibus Apronius, hic isdem etiam poculis uteretur, postremo ut odor Apronii taeterrimus oris et corporis quem, ut aiunt, ne bestiae quidem ferre possent, uni isti suavis et iucundus videretur.* Quatuor sunt membra quae superioribus per particulam *ut* annexa sunt. Tertii membri: *ut cum alii ne conviviis quidem isdem, quibus Apronius, hic isdem etiam poculis uteretur,* ea est figura ut membrorum similitudine sublata prorsus tollatur sermonis concinnitas. Nam quum in ceteris membris Apronius primarium locum obtineat, hic repente audientium mentes ad nescio quos *alios* abripiuntur. Auget incommodum movetque corruptelae suspicionem *hic* de Verre positum, qui in ceteris membris *iste* dicatur. Venit mihi in mentem Ciceronem scribere potuisse: *ut quicum alii ne conviviis quidem isdem, cum eo isdem etiam poculis iste uteretur.* De eodem Apronio eiusque conviviis similis locus est in hac eadem oratione, § 65: *ut quicum vivere nemo unquam nisi turpis impurusque voluisset, ad eius convivium spectatissimi atque honestissimi viri tenerentur.* Meam de hoc loco coniecturam dubitanter propono. Adhuc enim requiro exempla quae certa sint, quibus ad liquidum perducatur utaturne Cicero ea constructione verborum qua iunguntur *idem* et praepositio *cum.* Nam orationes Catilinarias, in quarum I § 19. legitur: *Cum a me — id responsum tulisses, me nullo modo posse isdem parietibus tuto esse tecum,* parum caute quis in eiusmodi de Ciceronis sermone disquisitionibus adhibeat; et in Verr. III. § 187: *Quandoque tu nulla umquam mihi in cupiditate ac turpitudine defuisti omnibusque in isdem flagitiis mecum — versatus es, ob eas res te, quoniam re locupletavi hoc annulo aureo dono,* nec lectio satis certa est, et vehementer displicet *omnibus in isdem flagitiis.*

§ 45. Quum Verre praetore integri saepe fructus atque

adeo bona fortunaeque aratorum omnes decumarum nomine venderentur, aratores, quibus ita arare parum expediret, arationes deserere agrosque relinquere coeperant. Itaque L. Metellus Verri successurus rei publicae consulens commodisque rei frumentariae prospiciens litteras ad Siciliae civitates mittit: hortatur et rogat ut serant, simulque ostendit in omni ratione decumarum nihil se Verris simile facturum. Metelli litterae in iudicio recitantur. *Hae litterae, iudices, L. Metelli quas audistis hoc quantum est ex Sicilia frumenti hornotini exaraverunt. Glebam commosset in agro decumano Siciliae nemo, si Metellus hanc epistolam non misisset. Quid? Metello divinitus hoc venit in mentem, an ab Siculis, qui Romam frequentissimi convenerant, negotiatoribusque Siciliae doctus est? quorum quanti conventus ad Marcellos antiquissimos Siciliae patronos, quanti ad Cn. Pompeium, tum consulem designatum, ceterosque illius provinciae necessarios fieri soliti sint, quis ignorat? quod quidem, iudices, nullo umquam de homine factum est, ut absens accusaretur ab iis palam, quorum in bona liberosque summum imperium potestatemque haberet. Tum* in *Cn. Pompeium tum consulem designatum* ex uno Vaticano receptum est, in quo scriptum exstat *tuum.* Et sane facilius est ad credendum in ceteris libris *tum* ob exitum praecedentis *Pompeium* omissum esse, quam in Vaticano *tuum* esse interpolatum. Non dissimulabo tamen videri mihi Vaticani lectionem confirmare suspicionem quam olim habueram, annon *consulem designatum* scholiastae deberetur. Quod si quis hanc ob causam ab oratore adiectum esse dicat, ut appareret Pompeium praecipue ab Siculis propterea aditum esse, quod eius auctoritate qui rem publicam proxime administraturus esset maxime se posse recreari sperarent, hac is defensione uti non poterit in *tum consulem designatum.* Etenim si haec ad animos cogitationesque Siculorum referenda sunt quemadmodum modi dixi, *tum* abundat. Facit autem ea particula ut haec ex ipsius oratoris mente dicta esse censenda sint docentis qua dignitate Pompeius fuerit eo tempore de quo agitur. Quid velim illustrabit Phil. II. § 12: *Non placet M. Antonio consulatus meus. At placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus; placuit Q. Catulo, cuius semper*

in hac re publica vivet auctoritas; placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, C. Pisoni, M'. Glabrioni, M'. Lepido, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenae, qui tum erant consules designati, in quibus ultima necessario adduntur, quippe in re cuius memoriam longinquitas prope obliteraverat. Verum in loco de quo disputo nihil minus necessarium. Nam Pompeius hoc ipso tempore quo causa dicitur consul est; conventus Siculorum ad eum factos esse, aut quo tempore facti essent in re tam recenti nemo, opinor, ignorabat; quod si quis ignorasset eum docere poterat ipsarum Metelli litterarum subscriptio, quae modo recitatae cum horum conventuum mentione coniunguntur: quid, quaeso, opus erat addi eum qui etiamtum consul esset ultimis superioris anni mensibus consulem fuisse designatum? Equidem veterem meam opinionem teneo deleoque *tum consulem designatum.*

Sequentia: *quod quidem, iudices, nullo umquam de homine factum est*, ne nunc quidem, postquam ex duorum librorum scriptura *iud.* (sic) *iudices* erutum est persanata esse existimo. Tametsi pristinum *iudicium* nequaquam commendare volo, tamen in iis quae nunc eduntur tum demum acquiescam, quum exemplis erit comprobatum praepositionem *de* hic recte locum obtinere. Suspicor librorum *iudicium* ortum esse ex *iudices in; quod quidem, iudices, in nullo umquam homine factum est.*

§ 48. Hanc sibi Verres paraverat defensionem: durus fui in provinciales, fortasse iniquus, sed commodis populi Romani prospexi, qui decumas pluris vendiderim quam ullus superiorum. Contra haec Cicero: *Tu mihi etiam audes mentionem facere decumarum? Tu in tanta improbitate, in tanta acerbitate, in tot ac tantis iniuriis, cum in arationibus et in earum iure provincia Sicilia consistat, eversis funditus aratoribus, relictis agris, cum in provincia tam locuplete ac referta non modo rem, sed ne spem quidem ullam reliquam cuiquam feceris, aliquid te populare putabis habere, cum dices te pluris quam ceteros decumas vendidisse? Quasi vero aut populus Romanus hoc voluerit aut senatus tibi hoc mandaverit, ut, cum omnes aratorum fortunas decumarum nomine eriperes, in posterum fructu illo*

commodoque rei frumentariae populum Romanum privares: deinde si quam partem tuae praedae ad summam decumarum addidisses, bene de republica, bene de populo Romano meritus viderere. Haec populus Romanus voluisse, senatus mandasse per ironiam fingitur. Ergone id quoque Verres in mandatis habebat ut, si quam partem praedae suae ad frumentum decumanum adiecisset, bene de republica meritus videretur? Hoc equidem concoquere nequeo. Quod populus voluisse senatus mandasse fingitur priore parte sententiae continetur, neque ultra *privares* excurrit; cetera ipsius Ciceronis sunt eique restituenda in hunc modum ut post colon scribatur: *Deinde si quam partem tuae praedae ad summam decumarum addidisti tibi bene de republica, bene de populo Romano meritus videbere?* in quibus si quis *bene de republica* tamquam ex dittographia ortum delere velit, equidem non intercedam. *Deinde* fere significat: postquam populum Romanum in posterum commodo rei frumentariae privasti.

Tibi a librario omissum esse arbitror: causa omissionis aperta; *addidisses* et *viderere* sunt correctoris, qui ratus haec cum superioribus cohaerere sententiam ab antegressa particula *ut* suspendit.

§ 54. Quum de singulorum aratorum iniuriis singulatim exponere infinitum esset, genera iniuriarum orator singulis nominibus profert. Nympho Centuripinus vadimonium promittere a decumano cogitur qui negaret eum ex edicto numerum iugerum professum esse. Postquam in ius ventum est, dat Verres pulcros istos de sua cohorte iudices. *Nympho antequam plane constitit condemnatur. Quanti? fortasse quaeritis. Nulla erat edicti poena certa: frumenti eius omnis, quod in areis esset.* Sententia responsiva: *frumenti eius omnis, quod in areis esset*, interpositis *nulla erat edicti poena certa* incommode ab interrogativa divellitur. Verborum nexum ita restituere velim ut scribam: *Quanti? fortasse quaeritis: nam nulla erat edicti poena certa. Frumenti eius omnis, quod in areis esset.* I. e. quandoquidem nulla erat edicti poena certa, quaeritis fortasse quanti sit Nympho condemnatus.

§ 60. Nondum poenitet me sententiae meae, quam alio loco proposui, in: *quid a me amplius dicendum putatis? an id agendum, ut eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus — pervenire*, etc., *quid* a librario corruptum, *eo celerius* ex margine interpolatum esse. Verum quum contendebam rescribendum esse: *ecquid a me amplius* non satis attendi antiquae scripturae vestigia aliam loci emendandi monstrare viam. Nam ante *a me* omittere ultimam partem pronominis interrogativi *quidquamne* facilis sane scribentis error est. Itaque coniicio Ciceronem scripsisse: *quidquamne a me amplius dicendum putatis, an id agendum, ut de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus — pervenire.* Cf. Cic. pro Murena, § 66: *Quemquamne existimas Catone, proavo tuo, commodiorem, communiorem, moderatiorem fuisse ad omnem rationem humanitatis?* Ep. ad Att. XIII, 20, § 4. *Quidquamne me putas curare — nisi ut ei ne desim?* Ibid. XVI. I. § 1. *Quidquamne turpius quam Bruto* IULIIS?

§ 64. Legerim: *Iam intelligitis, iudices, quae pestis, quae immanitas in vestra antiquissima, fidelissima proximaque provincia versata sit; iam videtis, quam ob causam Sicilia, tot hominum antea furta, rapinas, iniquitates ignominiasque perpessa, hoc non potuerit novum ac singulare atque incredibile genus iniuriarum contumeliarumque perferre: iam omnes intelligunt, cur universa provincia defensorem suae salutis eum quaesiverit, cuius iste fidei, diligentiae, perseverantiae nulla ratione eripi possit.*

In: *Iamne intelligitis quae pestis — versata sit? iam videtis quam ob causam Sicilia — hoc non potuerit — perferre? Iam omnes intelligunt cur — provincia — quaesiverit* etc., sicut haec edi video, reprehendo genus dicendi parum stabile ac certum. Nam tria membra tam apte cohaerent, ut oratio, sicut inchoata est ita continuari debeat, nec liceat priora membra per interrogationem, postremum per affirmationem efferri.

§ 117. Nullam rei defensionem accusator studiosius evertere conatur quam popularem illam: »decumas magno vendidi.” Huic igitur defensioni in crimine Leontino denuo occurrens lit-

teras publicas C. Norbani recitari iubet ex quibus constaret agri Leontini decumas hoc praetore qui legem Hieronicam diligenter observasset, tanti veniisse, quanti Verre praetore cui fuisset pro lege arbitrium eaedem venierunt. *Atqui tum neque iudicium de modo iugerum dabatur; neque erat Artemidorus Cornelius recuperator*, etc. Est hoc praeclarum iudicium de professione iugerum cuius metu, ut ait Cicero § 39, *magnus a multis frumenti numerus ablatus, magnaeque pecuniae coactae sunt, non quo iugerum numerum vere profiteri esset difficile — sed causa erat iudicii postulandi, quod ex edicto professus non esset.* Et ita semper ubi de hac re mentio incidit: *numerus iugerum* non *modus iugerum.* Cf. § 53. Itaque supra reponendum est: *At qui tum neque iudicium de numero iugerum dabatur.*

§ 125. Siculis Verre provinciam per triennium administrante calamitosior adeo pax fuit, quam olim bella diuturna et Punica et fugitivorum. *Cum bellis Karthaginiensibus Sicilia vexata est et post nostra patrumque memoria cum bis in ea provincia magnae fugitivorum copiae versatae sunt, tamen aratorum interitio facta nulla est. Tum sementi prohibita aut messe amissa fructus annuus interibat, tamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum.* Vide an non legendum sit: *attamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum.*

§ 131. Agitur de societate qua Verres cum decumanis coniunctus fuisse dicebatur. *Ecquod iudicium Romae tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te ulla Salus servare posset, cum planum fieret decumis contra instituta, leges, consuetudinemque omnium venditis in aratorum bonis fortunisque diripiendis decumanos dictitasse tuas esse partes, tuam rem, tuam praedam, idque te tacuisse, et cum dissimulare non posses, potuisse tamen perpeti et perferre, quod magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem plusque aliquanto apud te pecuniae cupiditas quam iudicii metus posset?* Vere mihi olim correxisse videor: *quo ex iudicio te vel ipsa Salus servare posset.* Sed in eodem loco aliud vitium superest quod alii velim corrigant. Nam *idque te tacuisse* sive *id te*

tacuisse, quod praebet Fabricianus, hic sine ullo sensu dicitur. Est enim tacere aliquid non praedicare, non efferre, quod quo pertineat equidem non video; contra tacere absolute positum, hoc est, crimine in te collato quiescere, nihil agere, sedere, tacitum ferre, satis bene in hunc locum cadit, ut coniicias Ciceronem scripsisse *teque tacuisse.* Verum ita alia oritur difficultas; nam verbum *dissimulare* requirit aliquid quo referatur. Equidem locum variis modis tentavi sed nihil reperi quod mihi ab omni parte placeret. In *tacuisse* infinitivum latere suspicor, qui cum *dissimulare* coniungendus sit v. c. *idque te audisse et scire cum dissimulare non posses;* ut fere Q. Cicero loquitur de petit. cons. § 35. *Iam illud teneto diligenter si cum qui tibi promiserit audieris fucum, ut dicitur, facere, aut senseris, ut te id audisse aut scire dissimules.* Sed nihil praesto. Videant alii an corrupto loco salutem afferre possint.

§ 138. P. Scandilius cum Apronio sponsionem fecerat, ni Verrem Apronius sibi dictitaret in decumis esse socium. In ius itur. Ab ipso Verre iudicium postulatur. Is recuperatores se daturum dicit. Verum cum intelligeret hoc iudicium ad se suamque existimationem pertinere, atque adeo de suo capite esse praeiudicium tres dat de sua cohorte recuperatores. Scandilius postulare de conventu recuperatores: tametsi qui tantis cervicibus futuri erant recuperatores qui auderent non solum contra voluntatem praetoris sed etiam contra fortunas iudicare? *Tum iste negat se de existimatione sua cuiquam nisi suis commissurum. — Impudentiam singularem! Hic postulat se Romae absolvi, qui in sua provincia iudicarit se absolvi nullo modo posse! qui plus existimet apud lectissimos senatores pecuniam, quam apud tres negotiatores metum valere!* Ea est huius loci ratio ut tribus illis negotiatoribus certus lectissimorum senatorum numerus opponi debeat, nempe tot quot ex lege Cornelia de repetundis in consilio erant. Quandoquidem nihil de hoc Corneliano numero compertum est, satis bene mihi egisse videbor, si in eo restituendo aliquam similitudinem veri aliqua ratione consecutus ero. Est autem non improbabilis coniectura ante *lectissimos* primam excidisse eius vocabuli

litteram, scripsissseque Ciceronem: *apud L lectissimos senatores.* Incertam esse coniecturam ipse sentio. Hoc unum teneo numeri notam excidisse.

§ 142. *Ecquis est iudex, cui non ab initio decumani criminis persuasum sit istum in aratorum bona fortunasque impetum fecisse? Quis hoc non ex eo statim iudicavit, quod ostendi istum decumas nova lege atque adeo nulla lege contra omnium consuetudinem atque instituta vendidisse. Verum ut istos ego iudices tam severos, tam diligentes, tam religiosos non habeam, ecquis est, ex iniuriarum magnitudine, improbitate decretorum, iudiciorum iniquitate qui hoc non iam dudum statuerit ac iudicarit?* Omnino legendum videtur: *Ecquis hoc non ex eo statim iudicavit.* In ipso decumani criminis initio orator ostenderat Verrem legem Hieronicam sustulisse. Alterum igitur membrum nihil est nisi explanatio prioris membri. Ferri posset mutata forma orationis si in altero membro ratio redderetur quamobrem oratori persuasum esset neminem iudicum de hoc crimine esse dubitaturum. Sed tum dicendum erat: *Quis enim hoc non* etc. Praeterea vereor ut sanum sit huius loci principium. Nam *ecquis est iudex* infinite dictum est de omnibus quorum nomen a praetore hoc anno in album iudicum relatum esset, qui etiam si non erant in consilio tamen dicebantur *iudices esse* et *iudicare.* Sententia requirit: *Ecquis vestrum est, iudices*, vel alia eiusdem generis.

§ 158. Timarchides Verris accensus cum de provincia cum patrono suo decessisset in ipso itinere Apronio, qui in Sicilia remanserat, litteras miserat, quibus eum hortaretur ut apud L. Metellum novum praetorem decedentis praetoris rei existimationique consuleret; simul monet cum quibus rebus ac muneribus se in Metelli familiaritatem insinuet. *Ea praecipit quae vidit, — quae domi didicit ipse: verum in hoc errat uno, quod existimat easdem vias ad omnium familiaritates esse munitas. Quamquam merito sum iratus Metello, tamen haec quae vera sunt dicam. Apronius ipsum Metellum non pretio, ut Verrem, non convivio, non muliere, non sermone impuro atque improbo posset corrumpere, quibus rebus non sensim atque moderate ad istius*

amicitiam adrepserat, sed brevi tempore totum hominem totamque eius praeturam possederat. Ut Verrem insititia esse censeo. Sententia relativa *quibus rebus — possederat* oratoris mentem satis declarat. Eiusdemmodi emblema tandem post repertos novos libros eiectum est § 156: *omnes enim ei [Verri] tunc attribuebant.* Num si illi libri etiam nunc laterent, istud *Verri* retinere deberemus?

§ 159. In iis quae sequuntur: *Nam quod scribit Metelli filium puerum esse, vehementer errat, non enim ad omnes praetorum filios iidem aditus sunt. O Timarchide, Metelli est filius in provincia non puer, sed adolescens pudens ac bonus, dignus illo loco ac nomine. Vester iste puer praetextatus in provincia quemadmodum fuisset non dicerem si pueri esse illam culpam ac non patris existimarem:* iterum correctoris prava sedulitas locum corrupisse atque egregium oratoris artificium obscurasse videtur. Nam: *Vester iste puer — existimarem* eius sunt, qui quoniam patris esse culpam existimet, dicturus est, quemadmodum iste puer in provincia fuerit. Itaque iam exspectas explicatum iri locum de Verris filii flagitiis. At nihil sequitur huius generis. Statim ad ipsum Verrem orator se convertit atque in eum omnem invidiam ex filii moribus traducit: nihil de filio, omnia de patre, ita tamen ut quemadmodum filius ille fuisset optime iudices intelligerent. In qua re oratoris artificium admiror qui ne inhumanus videatur filio qui patri in periculo adest parcere se simulat, sed ita parcit ut et patris augeat infamiam, et filii deprecationis vim, quae in misericordia iudicum posita est, frangat. Si oratoris mentem et cogitata recte perspexi, scripsit: *Vester iste puer praetextatus in provincia quemadmodum fuisset dicerem, si pueri esse illam culpam ac non patris existimarem*, i. e. cum Metelli filio Verris filium componerem: sed nolo in puerum invidiam quaerere, qui non ipsius existimem sed patris illam esse culpam.

§ 163. Crimine decumano concluso accusator pergit ad frumentum emptum. *Frumentum in Sicilia emere debuit Verres ex senatus consulto et ex lege Terentia et Cassia frumentaria.*

Emendi duo genera fuerunt, unum decumarum, alterum, quod praeterea civitatibus aequaliter esset distributum: illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset, huius imperati in annos singulos tritici modium ɪↄↄↄↄ *milia.* Ea librorum Mss. in hoc loco tradendo ratio est ut non facile quisquam sibi persuadeat veram se lectionem eruisse. Hoc mihi constat, si *illius decumani* et *huius imperati* ipsius Ciceronis sunt, in superioribus scriptum fuisse: *unum decumanum, imperatum alterum, quod praeterea civitatibus aequaliter esset distributum.*

§ 167. Ad frumentum emendum Verri pecunia attributa erat apud societatem quae in Sicilia publica exercebat. Homo novum furti genus excogitat: pecuniam binis centesimis foeneratur. In hoc crimine probando accusator litteris utitur quas societatis magistri in Siciliam de hac usura miserant: *quibus ex litteris impudentiam foeneratoris, quaeso, cognoscite.* Ita loquitur accusator qui in re manifesta versatur, ac non tam de demonstranda criminis veritate, quam de augenda invidia laborat. Verum tantum abest ut hoc ita sit, ut ex unis illis litteris, quas scriba recitaturus est, tota pendeat foenerationis criminis probatio; nam nullus praeterea testis est, nullae sunt litterae. Facere igitur non potuit accusator, ut crimen, quod demonstrare ipse perarduum esse declararat (§ 166), id quum demonstrationem inchoaturus est, tamquam apertum ac testatum proponeret. Suspicor Ciceronem scripsisse: *quibus ex litteris impudentissimam foenerationem, quaeso, cognoscite.*

§ 171. Ex empto frumento maiorem etiam praedam fecerat Verres hanc, quod permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino, sed et pro frumento ex iniqua aestimatione nummos abstulit, et quos nummos de publico frumenti emendi causa acceperat retinuit omnes. Hoc impudentissimum furtum primus accusatori exposuit Aeneas Halesinus. *Demonstrat hanc istius consuetudinem ac rationem fuisse, quod omnis frumenti copia decumarum nomine penes istum esset redacta, solitum esse istum pecuniam cogere a civitatibus, frumentum improbare: quantum frumenti esset Romam mittendum, tantum de suo quaestu ac de sua copia frumenti mittere.* Est haec per-

missa oratoribus licentia, ut si causa postulet rem ultra veritatem augeant et amplificent, modo caveant ne suam ipsi fraudem ac malitiam aperiant. Sic, ut hoc exemplo utar, tametsi Piso non ultra decimam fortasse partem frumenti totius provinciae tenuit, aestimavit, vendidit, tamen sine ulla reprehensione in eum dicitur, in Pis. § 86: *Unus tu dominus, unus aestimator, unus venditor tota in provincia per triennium frumenti omnis fuisti:* nam nihil addit orator quo suam ipse fidem elevans ostendat, quod omne frumentum dicit, id fuisse partem frumenti. Sed in loco Verrinae quem supra adscripsi tam incaute mentitur orator, ut uno spiritu mendacium et proferat et ipse coarguat. Nam si *omnis* frumenti copia penes Verrem erat redacta, quid erat illud civitatum frumentum quod improbare solebat ut pro frumento nummos poscere posset? Mirum ni Cicero optavit cautius loqui: *quod omnis fere frumenti copia decumarum nomine penes istum esset redacta.*

§ 186. Verres antequam ex Sicilia decessit scribam suum, ut flagitiorum ministerium beneficio splendidissimi ordinis renumeraret, in contione anulo aureo donavit; tres praeterea cives Romanos donis militaribus ornavit. *Quid haec sibi horum [trium] civium Romanorum dona voluerunt? Siculos praeterea potentissimos nobilissimosque donasti, qui non, quemadmodum sperasti, tardiores fuerunt, sed ornatiores tuo iudicio ad testimonia dicenda venerunt.* Verres quamvis ineptus esset non sperabat Siculos donis se suis hebetioris ingenii ac minus ingeniosos esse redditurum: nam hoc significat *tardus* per se de homine positum; sed iure sibi sperare posse videbatur homines a se ornatos tardiores ad testimonia gravia in se dicenda venturos. Ergo tollendum est *fuerunt* et legendum: *qui non — tardiores, sed ornatiores tuo iudicio ad testimonia dicenda venerunt.*

§ 187. *Annulo aureo scriba donatus et ad eam donationem contio est advocata. — Quae — tua praefatio donationis fuit? Illa scilicet vetus ac imperatoria:* QUANDOQUE TU QUID IN PROELIO, IN BELLO, IN RE MILITARI: *cuius ne mentio quidem te praetore ulla facta est; an illa:* QUANDOQUE TU NULLA UMQUAM MIHI IN CU-

PIDITATE AC TURPITUDINE DEFUISTI OMNIBUSQUE IN ISDEM FLAGITIIS MECUM ET IN LEGATIONE ET IN PRAETURA ET HIC IN SICILIA VERSATUS ES, OB EAS RES TE, QUONIAM RE LOCUPLETAVI, HOC ANULO AUREO DONO. Dubitari non potest quin in vera imperatoria praefatione unum tantum de tribus IN PROELIO, IN BELLO, IN RE MILITARI solemne fuerit. Sequitur ut haec necessario oratoris personae adscribenda sint rogantis quid tandem Verres in praefatione sua pronuntiare sustinuerit. Equidem locum ita scripserim: QUANDOQUE TU — *quid?* IN PROELIO? IN BELLO? IN RE MILITARI? *cuius ne mentio quidem te praetore ulla facta est.*

In ficta illa praefatione, quae sequitur, OMNIBUS IN ISDEM FLAGITIIS iam supra attigi, ostendique me de lectionis sanitate dubitare. Praeterea suspicor IN SICILIA additamentum esse magistri.

§ 188. Postquam dictum est de decumano frumento et de empto reliquum est de aestimato. *Nam cum ex senatus consulto et ex legibus frumentum in cellam ei sumere liceret idque frumentum senatus ita aestimasset, quaternis HS tritici modium, binis hordei: iste numero ad summam tritici adiecto tritici modios singulos cum aratoribus ternis denariis aestimavit.* Obscurum est qui numerus ad summam tritici accesserit. Quum videam in sequentibus iniquam tritici aestimationem exagitari, de hordeo sileri, suspicor Verrem nullum hordeum sumsisse sed pro hordeo triticum imperasse, ita ut tot modios tritici sumserit quot modios tritici et hordei sumere ei ex senatus consulto liceret. Quodsi rem recte perspexi facile obtinebo *hordei* bis esse scribendum: — *binis hordei: hordei iste numero ad summam tritici adiecto* etc.

§ 200. Nullum furti genus impudentius aut iniquius excogitari potest, quam quod Verres in frumento in cellam attributo fecit. Nam quum Senatus ei denarium in singulos modios tritici attribuisset, quumque in Sicilia eo praetore binis HS aut summum ternis tritici modius esset, nummos publicos tenuit omnes, tritici modiis singulis cum aratoribus ternis denariis aestimatis pro tritico nummos sibi dari iussit.

Indignum sane atque iniquum videri possit senatum decernere Siculos magistratibus Romanis in cellam frumentum gratis dare oportere. *Atqui hoc scitote aratoribus Verre praetore optandum ac petendum fuisse.* Lege: *optandum atque expetendum fuisse.*

§ 201. Ratio satis aperta est. *Perspicere vos certo scio, Siculis quanto opere hoc expediat, non aequitate condicionis sed ad minima malorum eligenda. Nam qui mille mod. Verri suae partis in cellam gratis dedisset, duo millia nummum aut summum tria dedisset, idem nunc pro eodem numero frumenti HS* VIII *milia dare coactus est.* Ut oratio cohaereat legendum est: *Nam qui, si mille mod. — gratis dedisset, duo millia nummum aut summum tria dedisset, idem nunc — HS* VIII *milia dare coactus est.*

§ 228. In peroratione orationis frumentariae: *Itaque haec, iudices, quae pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt. Arationes omnes tota Sicilia desertas atque a dominis relictas esse cognostis: neque quidquam aliud agitur hoc iudicio, nisi uti antiquissimi socii fidelissimique, Siculi, coloni populi Romani atque aratores, vestra severitate et diligentia me duce et auctore in agros atque in sedes suas revertantur,* non intercedo quominus cum Vaticano legatur, *antiquissimi socii et fidelissimi.* Verum quidquid scribetur *Siculi* delendum erit.

VALCKENAERII EMENDATIO INEDITA.

In Adversariis MSS. Valckenaerii, quae sunt penes virum amplissimum Luzacium, annotatum invenio locum Polyaeni VII. 16. totum e Ctesia sumtum esse videri, et ibi vetus mendum haerere in his verbis: *ὁ δὲ (Τισσαφέρνης) τὸ μὲν ϛρατόπεδον κατέλιπεν ἐν Σάρδεσιν, αὐτὸς δὲ μετὰ τριακοσίων λογάδων Ἀρκάδων καὶ Μιλησίων ἀφικόμενος ἐν Ἀριαίου κατέλυεν.* Pro *Ἀρκάδων*, quos Tissaphernis fuisse satellites fidissimos nemo facile credet, Valckenaerius *Ἀραδίων* emendavit.

C. G. C.

LECTIONES TULLIANAE

SCRIPSIT W. G. PLUYGERS.

CAPUT IV.

Verrinarum volumina de manibus depono, quae, ut spero, aliquando repetam emendationemque praeclari operis, quam in duobus libris inchoavi, in ceteris persequar. Nunc vero quasi animi reficiendi causa alias orationes Ciceronis pervolutare placet. Sit ordine princeps quae inter paucas corruptissima est

ORATIO PRO L. FLACCO.

§ 2. Miratur Cicero optimum adolescentem Laelium accusationem Flacci suscepisse civis egregii optimeque de re publica meriti. *Etenim cum a clarissimis viris veteres et iustissimas inimicitias saepe cum bene meritis civibus depositas esse vidissem, non sum arbitratus quemquam amicum rei publicae, posteaquam L. Flacci amor in patriam perspectus esset, novas huic inimicitias nulla accepta iniuria denuntiaturum.* Si *novas* delere iuberem omnes una voce reclamarent. Quod autem mihi in hoc vocabulo recte denegaretur, id quo iure in *veteres et*, quod nullo libro auctore ego supplevi, aliis tribuatur etiam atque etiam videndum erit. At isti alii sunt libri veteres omnes. Ego vero libris tantum tribuo ut, quum sine illis in meo supplemento de vera Ciceronis manu, qui et alia verba eiusdem significationis et alio loco scribere potuit, non constare concedam, ipsum *novas* ab eo profectum esse propter librorum auctoritatem pro certo habendum esse putem. Sed

veterum membranarum religionem si quis ita mihi obiicere velit, ut vulgatam scripturam huius loci, quia libri manu scripti omnes in ea conspirent, plenam et integram esse iudicare debeam, is primum mihi consideret quales se in aliis locis tradendis eaedem membranae ostendant.

Nam librorum manu scriptorum quotquot Flaccianam continent misera est conditio. Nullus integer exstat, omnesque uno fragmento Vaticano excepto et librariorum omittendi correctorum interpolandi peccatis referti sunt et in ceteris quoque cum exigua cura scripti. Scribarum negligentiam unum aut plura verba omittentium, quo in genere nunc versamur, in paucis locis ostendam, multos quum afferre possim. In § 78: *decrevit cum ibidem esses, cum prodire nolles; non est hoc in absentem, sed in latentem reum*, libri omnes *sed in latentem* omittunt; prodierunt haec tandem ex lemmate scholii Bobiensis (B). In § 52: *Nunc vero quid putem? Trallianos Maeandrio causam publicam commisisse homini egenti* etc. idem B solus habet *publicam*, omittunt ceteri. Ipse B — est autem liber rescriptus, de quo genere homines optima credere solent — verum tamen B eandem reprehensionem effugere non potest. Nam in § 14. omittit *vehementer*, in § 20. *facile*, in § 92. *propositum:* quo iure, locos inspicienti constabit. Ceteri quoque libri gravissima in se vicissim testimonia dicunt. Si Salisburgensem aliosque audis, Bernensis in § 32. *cursu et*, in § 55. *a civitatibus* omittens negligentiae culpam admisit: et vero admisisse videri pronuntiandum est. Rursus in Salisburgensem alii libri similia crimina eaque vera congerunt, in alios alii, ut quum omnes de singulis audieris, nulli quidquam in his rebus fidei esse tribuendum statuas necesse sit.

Sed erunt fortasse qui existiment, quamquam scribarum incuria singuli libri in iis quoque partibus orationis Flaccianae quae non penitus interierunt parum sint integri, tamen felici quodam casu evenisse ut, alio aliam ceterorum omnium lacunam explente, universi Ciceronis scripturam plenam servarint: omnes igitur restituendae huius orationis conatus his finibus esse circumscribendos, ut ne ullum verbum traditae lectioni addatur nisi cuius vestigia in aliquo vetere libro appareant. Si qui erunt qui hoc contendant, hi cunctorum librorum scri-

pluram in § 22 [1] contra Mommsenium defendant, qui vidit ante *reprehendit* adverbium excidisse: in § 33 [2] contra Manutium, qui bene restituit *hac laude:* in § 34 [3] contra Lambinum, qui probabiliter coniecit legendum esse *prodeant ceteri*, in aliis locis contra alios.

Itaque ego, ut iam revertar unde profectus sum, quum supra vel adversus omnes libros *veteres et* restituendum esse conieci, meo mihi iure usus esse videor; nam propter *novas*, quod in conclusione periodi subiicitur, aut id ipsum quod proposui, aut aliud quid eiusdem sententiae, non minus necessarium est, quam *iustissimas* propter *nulla accepta iniuria.*

Eadem ratione mihi utendum esse videtur in § 6. Agitur de Flacci iurisdictione urbana re varia et multiplici ad suspiciones et simultates, quas Flaccus ita effugit ut etiam ab inimicis eius praetura laudaretur. *In tam varia iurisdictione tam multa decreta, tot hominum gratiosorum laesae voluntates: quae est unquam iacta non suspicio, quae tamen solet esse falsa, sed iracundiae vox aut doloris?* Non dubito quin sint qui *suspicio, quae tamen solet esse falsa* defendant atque intelligere sibi videantur. Sed vereor ne si libri praeberent *quae tamen solet esse vera* reperirentur qui haec quoque susciperent et amplecterentur. Et sane non multum interest utrum *falsa* an *vera* legatur, nam utrumque aeque vere dicitur neque alterum altero huic loco aptius est. Etenim non id patronus agere debebat ut cuiusmodi esse solerent suspiciones quae in praetores iaciebantur explicaret, sed ut ostenderet quam facile illae orirentur quas tamen Flaccus effugisset. Suspicor olim scriptum fuisse *suspicio, quae tamen solet esse spe falsis;* nam

---

1) § 22. *Ubi est — illa laus oratoris, quae vel in accusatore antea vel in patrono spectari solebat? »Bene testem interrogavit; callide accessit, reprehendit; quo voluit adduxit; convicit et elinguem reddidit.*" Mommsenius: *Callide accessit; scite reprehendit.*

2) § 33. *At enim negas fratrem meum, qui L. Flacco successerit, pecuniam ullam in remiges imperasse. Equidem Quinti fratris mei laude delector, sed aliis magis gravioribus atque maioribus.*

3) § 34. *Citat praeco voce maxima legatos Acmonenses. Procedit unus Asclepiades. Prodeant. Etiamne praeconem mentiri coëgisti?*

fallor spe pro *spes me fallit* Ciceroni in usu fuisse videtur: cf. de Nat. deor. III. § 76: *Nam patrimonia spe bene tradendi relinquimus, qua possumus falli.* Spe autem falsi sunt qui causa ceciderunt.

Novissimi Flaccianae editores ut Ciceronis studiosorum commodis consulerent, eorum saltem qui minima veteris scriptoris schedula aut litera etiam aegre carent, lemmata scholiorum Bobiensium ad eam orationis partem quae periit recudenda curaverunt P. 800. ed Orell. II. Vellem in eorumdem gratiam una opera correxissent. Nam v. 23. pro: *M. Pisone, qui cognomen frugalitatis nisi accepisset ipse peperisset*, legendum est *reperisset.* Et v. 25. Flaccus sine sensu dicitur *non Asiae testibus sed accusatoribus contubernalibus traditus*, qui petebatur ab *accusatoris contubernalibus.* Scilicet legati ab Asiae civitatibus missi qui de Flacci avaritia quererentur et testimonia publica perferrent ab accusatore Laelio hospitio erant excepti. Quorum testium fidem elevans Cicero § 22: *Hoc vero quid est? Una sedent, ex accusatorum subselliis surgunt, non dissimulant, non verentur. De subselliis queror? una ex domo prodeunt; si verbo titubaverint quo revertantur non habebunt.* Idem § 24. a iudicibus deprecatur, *ne ignotis testibus, ne incitatis, ne accusatoris consessoribus, convivis, contubernalibus, ne hominibus levitate Graecis, crudelitate barbaris civem suum* dedant. Ad idem hospitium pertinet quoque iocus neque humanus nec valde lepidus de interitu testis Dorylensis, cuius mortis invidiam in Flaccum Laelius conferebat, § 41: *Facis iniuste, Laeli, si putas nostro periculo vivere tuos contubernales, praesertim cum tua negligentia factum arbitremur; homini enim Phrygi, qui arborem numquam vidisset, fiscinam ficorum obiecisti. Cuius mors te aliqua re levavit; edacem enim hospitem amisisti.* Sed longus sum in re parva et exigui momenti.

§ 6. Laelius, ut solent accusatores, rei laudes dissimulat; de Flacci militia siletur: de quaestura, de legatione vox nulla: *praeturae iurisdictio — non attingitur. At vero in summo et periculosissimo rei publicae tempore etiam ab inimicis eadem*

praetura laudatur. In *at*, in *inimicis*, in *eadem praetura* discrepant libri, in *laudatur* omnes conspirare videntur. Cetera nunc mitto, sed pro *laudatur* omnino legendum est *laudabatur*, scilicet in periculosissimo tempore rei publicae quod fuerat Cicerone et Antonio Coss.

§ 8 seq. Cicero tota hac oratione imprimis operam dat ut testium auctoritatem frangat. Primum dicit de genere universo, non recte quaeri a testibus ignotis qualis fuerit is qui per totam vitam sit in ipsorum iudicum oculis versatus. *Tmolites ille vicanus, homo non modo nobis, sed ne inter suos quidem notus, vos docebit, qualis sit L. Flaccus, quem vos modestissimum adolescentem, provinciae maximae sanctissimum virum, vestri exercitus fortissimum militem, diligentissimum ducem, temperantissimum legatum quaestoremque cognoverunt, quem vos praesentes constantissimum senatorem, iustissimum praetorem, amantissimum rei publicae civem iudicavistis? De quibus vos aliis testes esse debetis, de iis ipsi alios testes audietis? At quos testes? Primum dicam, id quod est commune, Graecos* etc.. Quamquam ipsam fraudem manifesto me comprehensam tenere non contenderim, et qua in re fallar magis suspicor quam perspicio, non patiar tamen ut mihi libri ita imponant ut iis credam Ciceronem haec ita scripsisse peritissimum dicendi artificem. Etenim quae in libris leguntur ita composita sunt ut duo sint membra, alterum *quem vos modestissimum adolescentem — cognoverunt*, alterum *quem vos praesentes — iudicavistis.* Ex qua verborum compositione primo oritur prava oppositio; quasi vero iudices absentes Flaccum adolescentem cognovissent, praesentes senatorem. Deinde nulla est symmetria membrorum quorum alterum tres partes continet, alterum simplex est. Postremo, quod gravissimum est, in hac forma orationis res dissimillimae et diversissimae uno verborum ambitu comprehenduntur, contra disiunguntur quae comparata et coniuncta esse debebant. Nam prioris membri duae partes priores, quae inter se pari fere ambitu sunt, Flacci vitam privatam ac mores secundum aetatis gradus ante oculos ponunt, qualis ille fuerit in adolescentia et in iuventute: tertia vero, quae ceteris aliquanto longior est, spe-

ctat vitam eius publicam, proponitque Flaccum qualem in militia se praebuerit; alterum autem membrum iterum ad vitam publicam vocat audientium animos, sed urbanas laudes praedicat. Equidem suspicor Ciceronem haec ita composuisse, ut singula membra bipartita fuerint singulaeque partes pari inter se ambitu. Fuerint igitur in priore membro, partes hae quae aetatis mentionem ac vitae privatae communem habent: *quem vos modestissimum adolescentem, provinciae maximae sanctissimum virum;* in altero, quae spectant vitam publicam hac: (*quem*) *vestri exercitus fortissimum militem — quaestoremque, vos praesentes constantissimum senatorem, iustissimum praetorem, amantissimum rei publicae civem.* Quod si recte disputavi videant alii an meliora et certiora afferre possint; mihi quidem videntur duorum verborum transpositione haec sanari posse. Nam si *cognoverunt, quem* sede sua moverimus et inter *sanctissimum virum* et *vestri exercitus* interposuerimus sublata erunt illa orationis vitia quae supra demonstrare conatus sum.

Sed restabunt alia. Nam praeterea dubito an libri recte tradiderint quae in § 9. sequuntur: *De quibus vos aliis testes esse debetis, de iis ipsi alios testes audietis? At quos testes?* Iubet enim ratio, nec memini me usquam videre Ciceronem aliter facientem, ut nomen repetitum in eo loquendi genere quale est *at quos testes?* ad eosdem homines referatur quos qui dicit modo ante audientium oculos ac mentes proposuit. Hoc autem loco in priore parte sententiae agitur de testibus in genere qui testimonium dicunt in hominem iudicibus notum: in *at quos testes?* orator solos respicit qui in Flaccum testimonia dixerunt. Constabit oratio si proxima ita scribuntur: *De quo vos aliis testes esse debetis, de eo ipsi alios testes audietis?*

Verum qui superiora pertractabit ei de his quoque videndum erit. Cui fortasse probata erit mea sententia haec non per se esse efferenda, sed continere clausulam totius periodi, quae non in *Tmolites ille* incipiat, sed in *quem vos modestissimum.* Nam si recte video totus locus ita scribendus est: *Tmolites ille vicanus — vos docebit, qualis sit L. Flaccus? Quem vos modestissimum adolescentem, provinciae maximae sanctissimum vi-*

rum cognoverunt: quem vestri exercitus fortissimum militem, diligentissimum ducem, temperantissimum legatum quaestoremque, vos praesentes constantissimum senatorem, iustissimum praetorem, amantissimum rei publicae civem iudicavistis: de quo vos aliis testes esse debetis, de eo ipsi alios testes audietis? At quos testes? etc.

§ 17. Defensor ne publicam quidem Graecarum civitatum in testimoniis dicendis auctoritatem stare patitur. *Nuper epulati, paulo ante omni largitione saturati, Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate sua sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt. Hoc testimonium est civitatis?* Haec qui tueri velint duas fuisse largitiones statuant necesse est, epulas paulo ante contionem, largitionem omnis generis paulo ante epulas; quibus vero displiceat, ut, qui iam omni largitione *saturati* sint — epulae autem pertinent ad omnem largitionem — iidem exiguo temporis spatio interiecto iterum epulentur, hi mecum circumspicient annon possint saturi illi Pergameni alterarum epularum molestia ac fastidio liberari.

Video saepe binas variorum librorum lectiones in scriptis huius orationis libris copulari. Nam *luxuriaes* in fragmentis Bobiensibus (P. 800. v. 17. Or. II.) quid aliud esse putas, quam variam lectionem (*luxuri*)*es* ex alio libro in archetypo libri Bobiensis supra *luxuria* adscriptam? aut in § 3. quorumdam librorum *sapientiam providentiam?* aut in § 19. *contentionem et concionem?* aut in § 41. *suppliciter subtiliter et copiose*, ut habet Leidensis 50 [4]? aut in § 61. *defecerunt et defuerunt?* aut in § 87. *civitatum, provinciarum?* etc. Non igitur temerarii ac praecipitis iudicii est coniicere hoc loco *nuper* et *paulo ante* antiquas esse variorum librorum lectiones. Mirabuntur quidam fortasse hoc variarum lectionum genus, quod ex nullo scribentium errore ortum sit, et malent haec et horum similia ad glossas interlineares referre. Verum quid magis mirum in aliis libris *nuper* in aliis *paulo ante* scriptum fuisse, quam in aliis *sa-*

---

[4]) Est Mss. Lat. Bibliothecae Publicae N⁰. 50.

pientiam in aliis *providentiam*, aut in aliis *civitatum* in aliis *provinciarum?* Quam incerte et parum fideliter in hac oratione Ciceronis scriptura tradita sit paucis exemplis ex Leid. 50 petitis ostendam; qui liber est quidem e recentissimis, sed passim supra scriptas habet varias lectiones non ex iudicio librarii profectas, qui ne intellexit quidem quae scribebat, sed aut ab ipso, postquam totum librum absolverat, aut ab aequali ex alio libro additas. Habet autem Leid. in § 14. *ad hoc opus conficiendum*, sed supra *opus* scriptum est *negotium*; in § 45. *verum enim vero in clarissimis est civibus*, sed inter lineas supra *verum* legitur *utrum*, ceterorum omnium, ut videtur, librorum lectio, sed tamen vitiosa. Equidem non video quemadmodum eiusmodi varietatis origo a magistrorum industria, qui verba discipulis minus cognita explicaverint, repeti possit. De huiuscemodi locis sic sentio: archetypum Flaccianae hic illic lacunosum fuisse aut difficile lectu supra demonstratum est: lacunas autem alius describentium alio modo supplevisse videtur: inde duae quasi librorum familiae: mox ex libro diversae stirpis varia lectio inter lineas enotata: postremo utraque lectio aut simpliciter, aut, ut sententia constaret, mutatis mutandis in verborum seriem recepta.

Quae si ad nostrum locum transfero, statuerim in archetypo fuisse: . . . . . . *epulati atque omni largitione saturati:* inde lacunam alius explevit scribendo *nuper*, alius maluit *paulo ante;* cetera insecuta sunt: tandem *paulo ante* sedem coniunctionis *atque*, vel quaecunque fuit, quo uno loco inferri potuit, invasit.

§ 23. Ad eundem locum de testimoniis publicis sequentia quoque pertinent: *Nego esse ista testimonia, quae tu ipse psephismata appellas, sed fremitum egentium et motum quemdam temerarium Graeculae contionis.* In his *ipse* delendum est, ortum ex prioribus sequentis vocabuli literis, quae adhaerentes ad proximum vocabulum *tu* scribae oculos fefellerunt.

Hic mihi in mentem venit loci Liviani in quo idem *ipse* mirum in modum corruptum est. Est in capite XLI libri XXII. Ibi narrato tumultuarii proelii eventu ex quo Romani Varrone consule duce victores, Poenorum praedatores victi discesse-

rant, Livius ita pergit: *Hannibal id damnum haud aegerrime pati, quin potius credere velut inescatam temeritatem ferocioris consulis ac novorum maxime militum esse. Et omnia ei hostium haud secus quam sua nota erant: dissimiles discordesque imperitare, duas prope partes tironum militum in exercitu esse. Itaque locum et tempus insidiis aptum se habere ratus nocte proxima nihil praeter arma ferentes secum educit milites, castra plena omnis fortunae publicae privataeque relinquit, transque proximos montes laeva pedites instructos condit dextra equites, impedimenta per convallem medium agmen traducit, ut diripiendis velut desertis fuga dominorum castris occupatum impeditumque hostem opprimeret.* In principio huius loci legendum est: *quin potius gaudere velut inescatam* etc. Hoc in transcursu. Sed quid significat: *impedimenta per convallem medium agmen traducit*, aut quae sunt ista impedimenta quae milites secum habere dicuntur nihil praeter arma ferentes e castris educti? Ego vero pro *impedimenta* lego *ipse.* Librarius ante oculos habebat *ipe*: inde extricavit *impe* et caudam adiecit. Fortasse nonnullis calumniari librarios videbor et esse in istam gentem iniquus ac nimis suspiciosus, qui tantum iis stuporem affingam cum tanta audacia coniunctum. Non difficile est afferre quibus religionem meam tuear. Quod si quando opus erit plura eius generis conquiram; nunc duobus exemplis defungar: alterum est de Fin. bon. et mal. I. § 20. ubi pro *sive* librarius de sententia securus scripsit *suavitate*, alterum pro Quinctio § 1. ubi pro *gratia Sex. Naevii ne P. Quinctio noceat*, in plurimis libris legitur *gr. S. N. nepotis Q. n.*, vel *gr. S. N. ne potius Q. n.* Ceterum solet Livius per pronomen *ipse* secernere quid per se faciat imperator quid per praefectos. Exempla abundant. Livium inspicienti tria mihi occurrunt, primum in eodem libro XXII. cap. 4: *ibi castra in aperto locat ubi ipse cum Afris modo Hispanisque consideret: Baliares ceteramque levem armaturam post montes circumducit: equites ad ipsas fauces saltus tumulis apte tegentibus locat.* Duo reliqua sunt XXIII. 28 et 43.

Sed me Flacciana ad se revocat. Dixi igitur videri mihi in § 23. *ipse* ante *psephisma* librario deberi. Eiusdem incuria factum est ut illud sive testimonium sive psephisma sine sensu

Cicero *motum quemdam temerarium Graeculae contionis* dixisse videatur. Etenim testimonium, psephisma, vel quidquid dicitur aut scribitur, ostendit voluntatem et animum dicentis scribentisve, non est ipse animi motus neque ita appellari potest. Itaque fremitus egentium recte negatur esse testimonium, nam fremitus est indicium animi et voluntatis haud secus ac verba sive dicta sive scripta; sed post *fremitum* requiritur vocabulum eiusdem generis, velut *vocem quamdam temerariam.*

Viris doctis quae diligenter considerent propono quae leguntur in § 24 seq.: *Multa — sunt eiusmodi, iudices, ut etiam si in homine ipso de quo agitur negligenda sint, tamen in conditione atque in exemplo pertimescenda videantur. Si quem infimo loco natum, nullo splendore vitae, nulla commendatione famae defenderem, tamen civis a civibus communis humanitatis iure ac misericordia deprecarer — ne hominibus levitate Graecis crudelitate barbaris civem ac supplicem vestrum dederetis, ne periculosam imitationem exempli reliquis in posterum proderetis. Sed cum L. Flacci res agatur, cuius ex familia qui primus consul factus est primus in hac civitate consul fuit, cuius virtute regibus exterminatis libertas in re publica constituta est, quae usque ad hoc tempus honoribus, imperiis, rerum gestarum gloria continuata permansit, cumque ab hac perenni contestataque virtute maiorum non modo non degeneraverit L. Flaccus, sed, id quod maxime florere in generis sui gloria viderat, laudem patriae in libertatem vindicandae praetor adamarit: in hoc ego reo ne quod perniciosum exemplum prodatur pertimescam, in quo, etiam si quid errasset, omnes boni conivendum esse arbitrarentur?* Primum velim animum advertant ad: *Sed cum L. Flacci res agatur — permansit,* Thucydide ea digniora quam Cicerone, qui utpote verus orator perspicuitatem nec debet aspernari nec solet. Faciunt haec tam obscura parum apte ad sententiam composita oratio ambiguaque structura sententiarum relativarum: *cuius ex familia — consul fuit, cuius virtute — libertas — constituta est, quae usque ad hoc tempus permansit.* Dices haec tibi luce clariora esse qui videas primum relativum ad L. Flaccum, alterum ad

Poplicolam, tertium ad Flaccorum familiam esse revocandum. Ita tu iudicas, qui volumen orationis manu tenes et locum relegere potuisti. Sed quid si qui Ciceronem haec audiverunt dicentem? Quos quum orationis forma eo necessario duceret, ut utrumque *cuius* ad Flaccum referrent — in *quae* autem haesisse eos puto utrum ad *rem publicam*, an ad *libertatem*, an ad *virtutem* esset revocandum, de *familia* cogitaturos si orator iis cogitandi spatium dedisset — haec in sensum et mentem intrare non potuerunt. Ante enim praeterlapsa erant quam perspecta.

Sed praeter hanc obscuritatem tota periodus propter languidum et confusum genus dicendi reprehendenda videtur. Nam quod orator quasi stamen ad pertexendum et ornandum sumsit hoc est: »multa sunt eiusmodi ut, etiamsi in homine ipso sint negligenda, tamen in exemplo pertimescenda sint. Quapropter si quem infimo loco natum defenderem, tamen peterem a vobis summeque contenderem ut ne eius calamitate periculosam imitationem exempli reliquis in posterum proderetis; sed nunc quum unus de nobilissima Flaccorum familia petatur, quae et virtute et meritis in rempublicam floruit, quumque ipse L. Flaccus quem defendo ab hac perenni virtute maiorum non degeneraverit, in hoc ego reo ne quod perniciosum exemplum prodatur non pertimesco." Hic in conclusione periodi gentis Valeriae Flaccorumque nobilitas primo loco generaliter praedicanda erat et a L. Flacci persona quodammodo segreganda: in qua nobilitate omnis vis argumentationis posita est: tum demonstrandum L. Flaccum nihil fecisse quo commisisset illud praemium nobilitatis, ut diligentius in eius causa iudicibus circumspiciendum esset, quam in aliorum. Itaque L. Flacci nomen recte semel et ultimo loco ponitur, quod in loco de Flaccorum laudibus praeceptum, ut fit in *Sed cum L. Flacci res agatur — permansit*, seriem sententiarum interrumpit nervosque orationis incidit.

Ergo sic sentio. Quum mihi constet *L. Flacci* nomen salva sententia stare non posse ubi nunc stet, quumque videam pronominum relativorum rationem non perspicuam et apertam fore nisi primum *cuius* ad idem nomen referatur quo pertineat *quae*, vulnus quo totum locum laborare existimo in ver-

bis *sed cum L. Flacci res agatur cuius* latere censeo. Sed curationem non suscipio. Morbus mihi videtur insanabilis ac desperatus.

§ 26. Loco quem modo tractavi haec subiiciuntur: *Quod quidem ego non modo non postulo, sed contra, iudices, vos oro et obtestor, ut totam causam quam maxime intentis oculis, ut aiunt, acerrime contemplemini. Quam maxime intentis oculis* contemplari est *acerrime* contemplari. Ego adverbium abiicio. Est adnotatio interlinearis, quam librarii bona fide inter Ciceronis verba receperunt. Iudicium meum confirmat Leid. 50, in quo *acerrime* primum omissum fuit; postea autem, quum oratio perscripta ad aliud exemplar exigeretur quam unde descripta fuerat, in margine supplevit aut ipse librarius aut alius quispiam. Hoc ita factum esse testantur variae lectiones ab eadem manu quae *acerrime* in margine addidit eodem atramento passim adscriptae, quarum lectionum supra unam et alteram proposui.

§ 30. Civitates Asiae imprimis querebantur classis nomine pecuniam sibi imperatam tum quum pace maritima per Pompeium confecta iam nulla classe opus esse videbatur. Hoc crimen facili ratione defensor ita diluere conatur: *Quid? nos hic nonne ipso Pompeio auctore Silano et Murena consulibus decrevimus, ut classis in Italia navigaret? nonne eo ipso tempore cum L. Flaccus in Asia remiges imperabat, nos hic in mare superum et inferum sestertium ter et quadragies erogabamus?* Libri omnes *rogabamus;* correxit P. Manutius. Ceterum decernendi verbum, quod senatui proprium est, demonstrat classem navigasse pecuniamque erogatam esse ex senatus consulto.

Miror consimilem locum apud Livium XXII. 23. nondum correctorem invenisse, aut si invenit, correctionem editores Teubnerianos aspernatos esse. In permutandis captivis inter Hannibalem et Fabium dictatorem convenerat, ut quae pars plures reciperet quam daret certam pecuniam in militem praestaret. *Ducentos quadraginta septem cum plures Romanus quam Poenus recepisset, argentumque pro iis debitum saepe iactata in*

senatu re, quoniam non consuluisset patres, tardius rogaretur, (Fabius) *inviolatum ab hoste agrum misso Romam Quinto filio vendidit, fidemque publicam impendio privato exsolvit.* Rogatur populus plebesve in comitiis ut lege plebeive scito iubeat aut vetet. Haec autem res acta in curia est. Ergo legendum est *tardius erogaretur* i. e. quum tardius senatus consultum fieret quo Dictatori potestas daretur ut quaestores urbis ad eam rem pecuniam attribuere iuberet. Exempla eiusmodi senatus consultorum quibus pecunia erogaretur supersunt apud Cic. Phil. IX. § 16. et XIV. § 38: *senatui placere ut C. Pansa A. Hirtius consules, imperatores, alter ambove, si iis videatur, iis qui sanguinem pro vita, libertate, fortunis populi Romani, — profudissent, monumentum quam amplissimum locandum faciendumque curent quaestoresque urbanos ad eam rem pecuniam dare attribuere solvere iubeant.*

§ 33. Querebantur porro classem sumtu et literis navigasse, pecuniam in arcam praetoris esse relatam: rem apertam et manifestam esse: nam qui Flacco successerit Q. Ciceronem hoc sumtu civitates statim liberasse. Hanc adversariorum argumentationem orator ita convellit ut dicat temporibus mutatis fratrem aliud statuisse: *denique hoc primus frater meus in Asia fecit ut hoc sumtu remigum civitates levaret. Crimen autem tum videri solet, cum aliquis sumtus instituit eos qui antea non erant instituti, non cum successor aliquid immutat de institutis priorum. Flaccus quid alii postea facturi essent scire non poterat; quid fecissent videbat.* In Leid. 50. *eos* post *instituit* et *postea* post *alii* primum omissa postea suppleta sunt. *Postea* tuetur locus in Quinctiana § 83: *quum postea quid futurum esset ignorares;* sed *eos* ante sententiam relativam in negatione rectius abesse puto. Tum saepe incidi in locos ubi qui ante aliquem in eodem magistratu fuerunt dicerentur *superiores*, ut Verr. III. § 16: *scio te edicta superiorum omnium correxisse;* ibid § 38. *contra consuetudinem superiorum;* pro Fonteio § 1. *Hunc omnium superiorum, huius autem omnes qui postea fuerint auctoritatem dico secutos*, alibi; *priores* me hoc sensu apud Ciceronem legere non memini. Itaque scri-

bendum videtur *de institutis superiorum.* Quam facile errari potuerit apparet.

§ 37. Asclepiades testis in reum laudationem ab Acmonensibus Flacco datam falsam esse contendebat, non quod litteras publico signo obsignatas esse negaret, sed solere suos cives ex tempore quod opus esset obsignare dicebat. Haec ita in accusatoris testes retorquentur: *Equidem in minimis rebus saepe res magnas vidi, iudices, deprehendi ac teneri, ut in hoc Asclepiade. Haec quae est a nobis prolata laudatio obsignata est creta illa Asiatica, quae fere est omnibus nota nobis. — Neque enim testis ipse signo inspecto falsum nos proferre dixit, sed levitatem totius Asiae protulit. — Nostra igitur laudatio, quam ille temporis causa nobis datam dicit, datam quidem confitetur, consignata creta est: in illo autem testimonio, quod accusatori dicitur datum, ceram esse vidimus.* In *neque enim testis* sunt qui *enim* delendum esse censeant. Mihi quidem legendum videtur *neque etiam testis.* Novum argumentum idque maioris ponderis superiori adiicitur, quo confirmetur illam laudationem habere verum signum civitatis Acmonensis, scilicet ipsius adversarii confessio. In sequentibus pro *datam quidem confitetur* legerim *datam tamen confitetur.* Operae pretium est inspicere § 47. in qua itidem pro *quidem*, quod habent libri omnes, ex fragmento Vaticano *tamen* restitutum est.

§ 39. Legati Dorylensium contra Flaccum venerant sine litteris publicis. *Bellissimum putaverunt dicere amissas. Quiescant igitur et me hoc in lucro ponere et aliud agere patiantur. Non sinunt. Supplet enim iste nescio quis qui et privatim dicit se dedisse.* Quid suppleverit iste nescio quis non perspicio. Scripsitne Cicero: *Subit enim iste nescio quis*, ut ceteris devictis tamquam subsidiarius miles insurrexisse diceretur, qui rei defensorem nec dum quiescere neque aliud agere pateretur?

§ 41. Si minus constat quid iste homo in iudicio fecisse dicatur, hoc certum est eum dum Flacci causa ageretur Ro-

mae esse mortuum. *Atque — nuper cum efferretur magna frequentia consessuque vestro mortis illius invidiam in L. Flaccum Laelius conferebat. Facis iniuste, Laeli, si putas nostro periculo vivere tuos contubernales, praesertim cum tua negligentia factum arbitremur; homini enim Phrygi qui arborem numquam vidisset fiscinam ficorum obiecisti. Cuius mors te aliqua re levavit: edacem enim hospitem amisisti: Flacco vero quid profuit? qui valuit tamdiu, dum huc prodiret, mortuus est aculeo iam emisso ac dicto testimonio. Ut istud columen accusationis tuae, Mithridates, posteaquam biduum retentus testis a nobis effudit quae voluit omnia, reprehensus convictus fractusque discessit, ambulat cum lorica: metuit homo doctus et sapiens ne L. Flaccus nunc se scelere alliget cum iam testem illum effugere non possit: ut qui ante dictum testimonium sibi temperarit, cum tamen aliquid assequi posset, is nunc id agat, ut ad falsum avaritiae testimonium verum maleficii crimen adiungat.* Locus male habitus, ut nullum dixerim in Flacciana inquinatiorem. Primum efferri aliquem a sedentibus mihi novum est et inauditum. Itaque quamquam omnes libri manu exarati satis demonstrant *consessuque* lectionem esse perantiquam: nam *consensuque* quod habent libri mss. tantum non omnes, etiam Vaticanus, nos eodem ducit: et quamquam *frequentia* et *consessus* alibi quoque coniuncta leguntur, ut pro Quinctio § 72. de advocatione petitoris: *aderunt — homines nobilissimi ac potentissimi, quorum frequentiam et consessum — quivis — perhorrescat;* tamen ego Ciceronem non scripsisse *cum efferretur magna frequentia consessuque vestro* contendo. Veram me eius scripturam invenisse in tam antiqua corruptela affirmare non ausim; sed tamen magis crediderim testem illum Dorylensem *magna frequentia concursuque* inimicorum Flacci fuisse elatum.

Deinde post *aculeo iam emisso* sequentia *ac dicto testimonio* admodum frigent. Equidem malim haec abessent: sed quoniam talia nullam habent certam demonstrationem, non contendo; diversos enim trahit suus quemque pulchri venustique sensus et quam habeat de scriptore quem tractet opinio.

Quamquam sunt interpolationes quae, si semel deprehensae ac prolatae sunt, omnes una mente consentiunt. Velut hoc

loco: ecquis qui teneat adiungendi verbum, nisi orationis structura verbave adiecta perspicue aliam sententiam significent, (ut de Finibus bon. et mal. I. § 6. et alibi) ita poni solere, ut qui aliquid adiungere dicitur id adiungat ad rem in ipso positam aut ab ipso profectam: cuius generis est § 14. ubi ad sermones de inimicitiis inter Pompeium et Flaccum a se dissipatos accusator dicitur *adiunxisse illa, ut eos qui domo exire nolebant testimonii denuntiatione terreret*; cf. de Or. I. § 76. Brut. § 261: qui igitur hoc teneat, num dubitare poterit quin stulte ac contra usum sermonis de Flacco dicatur: *ut — is nunc agat, ut ad falsum avaritiae testimonium verum maleficii crimen adiungat?* Nam reus facere non potest ut quidquam ad testimonium in se dictum adiungat, ad quod si quid adiungendum est id eiusdem hominis negotium est, qui testimonium dixit. Hoc autem sermonis vitio semel perspecto omnes sine dubitatione hoc unum et certum remedium adhibendum esse censebunt, ut *testimonium* deleant et scribant: *ut ad falsum avaritiae verum maleficii crimen adiungat* i. e. ut Flaccus ad falsum crimen quo premitur verum adiungat.

Est autem huius interpolationis atque earum de quibus supra disputavi longissime diversa ratio. Ibi enim demonstravi librarios saepe inter oratoris verba retulisse quae in margine aut inter versus a magistro aut correctore scripta invenirent. Illi quidem errabant, sed bona fide. Quid vero hic factum est? Homo ineptus quae se non intelligere sentiebat correxit scilicet. Cuiusmodi hominum prava studia plus veterum scriptorum intelligentiae offecisse existimo, quam omnes omnium librariorum errores. Hi enim et facile deprehendi et plerumque certa ratione depelli possunt; sed quae correctores attingunt ea ita penitus corrumpere solent, ut curatio sit incertissima vel etiam desperata. Qui quanta licentia in Flacciana grassati sint exemplis illustrasse fortasse non inutile erit.

Vide modo quid fecerint in hoc uno loco quem supra adscripsi. Lemmata Bobiensia et fragmentum Vatic. habent *arborem*, quod ipsum vereor ut a Cicerone scriptum sit; ceteri omnes *arborem fici*, quod ille certe non scripsit. Paulo inferius in fragmento Vaticano est *te aliqua relevavit;* facilis erat correctio; sed ceteri omnes *te ex aliqua parte relevavit.*

Versus finem eiusdem paragraphi fragmentum Vaticanum, quod ipsum tamen habet *testimonium*, recte praebet *verum maleficii crimen;* ceteri *verum etiam m. cr.*, Leid. 50 adeo *verum etiam iam m. cr.*

Et ita per totam Flaccianam; omnia correctorum sordium plena. In §. 4. omnes libri *quem enim alium appellem*: solum lemma Schol. Bob. *alium* omittit; in § 8. omnes libri praeter unum *atque amantissimum;* in § 32. omnes *in provincia* sive *in provincias*, quorum hoc est stulta interpolatio, illud interpolationis correctio; in § 42. fragm. Vat. recte *victus:* ceteri omnes maluerunt *convictus* aut *convinctus*, sine sensu. In § 51. *Venio ad Lysaniam — peculiarem tuum, Deciane, testem: quem tu cum ephebum Temni cognosses, quia tunc te nudus delectarat, semper nudum esse voluisti. Abduxisti Temno Apollonidem: pecuniam adulescentulo grandi fenore fiducia tamen accepta occupavisti. Hanc fiduciam commissam tibi dicis; tenes hodie ac possides. Eum tu testem spe recuperandi fundi paterni venire ad testimonium dicendum coëgisti*, vellem editores secuti essent lemma Schol. Bob., in quo *tu testem* abest; recte: nam Decianus non eum testem, sed eum adolescentulum ad testimonium dicendum coëgit. In § 57. librorum scriptura est: *Quid vos censetis Trallibus? an id quod Pergami?* vidit Ernestius legendum esse *quid Pergami?* Scilicet *quid* abierat in *quod*, deinde corrector adiecit *an id.* In § 64. alii libri interpolatum habent *illam gentem*, quod in aliis abiit in *illam generaret.* Qui plura eiusdem generis desiderat ipse varias lectiones ad Flaccianam collectas oculis perlustret. In cuius gratiam ego ex Leid. 50. novum interpolationis a correctore profectae exemplum afferam, unde simul appareat quam aperta isti homines quum non intelligerent tamen corrigere ausi sint. In § 31. legitur: *Quod si Flacco praetore nemo in mari praedo fuisset, tamen huius diligentia reprehendenda non esset. Idcirco enim, quod hic classem habuisset, existimarem non fuisse.* Numquid potest planius dictum esse? Tamen non intellexit qui correxit *existimarem non fuisse reprehendendum*, ut est in Leid. 50.

Sed ut revocetur unde huc declinavit disputatio, in § 41. alia corrigenda restant, quae breviter demonstrabo. Nam in:

Ut istud columen accusationis tuae, Mithridates — ambulat cum lorica ratio duorum verborum *effudit* et *discessit* parum explicata est indicatque corruptelam. Et in: *metuit homo sapiens — effugere non possit* vitiosum est *illum.* Ego vero nihil habeo quo his mederi possim.

§ 45. In publico Temnitarum testimonio scriptum erat homines clarissimos eius civitatis amplissimis usos honoribus Flacco praetore circumventos; *cur hi neque in iudicio adsunt neque in decreto nominantur? non enim credo significari isto loco illum, qui se erigit, Heraclidam. Utrum enim est in clarissimis civibus is, quem iudicatum hic duxit Hermippus? qui hanc ipsam legationem quam habet non accepit a suis civibus, sed usque Tmolo petivit? cui nullus honos in sua civitate habitus est umquam; res autem ea, quae tenuissimis committebatur, huic una in vita commissa sola est. Custos F. Aufidio praetore in frumento publico est positus* etc. Nulla est causa cur in altera parte sententiae relativae: *res — commissa sola est,* ponatur demonstrativum *huic.* Nam in eiusmodi structura orationis id quod pronomini relativo subest non solet iterum per demonstrativum proponi, nisi si sententia alium casum requirit quam quo relativum positum est. Mutata verborum distinctione lego: *cui nullus honos in sua civitate habitus est umquam, res autem ea quae tenuissimis committebatur haec una in vita commissa sola est: custos F. Aufidio praetore in frumento publico est positus.*

§ 47. Heraclides ille olim quum Romae habitaret fundum mercatus erat, solveratque fide Hermippi a Fufiis equitibus Romanis. Securus Hermippus Temnum proficiscitur, quum ille se pecuniam diceret Fufiis persoluturum. *Interim neque ita longo intervallo libertus a Fufiis cum literis ad Hermippum venit: pecunia petitur ab Hermippo. Hermippus ab Heraclida petit: ipse tamen Fufiis satis facit absentibus et fidem suam liberat: hunc aestuantem et tergiversantem iudicio ille persequitur.* Lego *iudicio illic persequitur,* scilicet in Asia: poterat etiam Romae. Sic idem Heraclides mancipia, quae quum iu-

dicatus esset vendiderat, partim in Asia partim Romae repetiisse video § 49 seq.

§ 68. Flaccus aurum ab Iudaeis Asiaticis in usum sacrorum quae Hierosolymis fiebant collatum comprehendi iusserat inque aerarium populi Romani referri: *actum esse per viros primarios res ipsa declarat. Apameae manifesto comprehensum, ante pedes praetoris in foro expensum est auri pondo centum paulo minus per Sex. Caesium equitem Romanum, castissimum hominem atque integerrimum; Laodiceae viginti pondo paulo amplius per hunc L. Peducaeum iudicem nostrum; Adramyttii * * per Cn. Domitium legatum; Pergami non multum.* Senseram post *Adramyttii* numerum librarum deesse, et, quum vidissem *Pergami non multum* pro huius loci sententia nimis infinite dictum esse, conieceram olim scriptum fuisse: *Pergami non multo minus.* Hic me Mommsenium et Halmium v. v. d. d. assensores habere valde gaudeo. Sed in eo ab Halmii ratione mea discrepare videtur quod ego, etiam si scribatur *non multo minus*, locum ita nondum expletum et integrum esse existimo. Requiro enim post *multo minus* nomen et honorificam mentionem ordinis aut honoris eius viri primarii per quem aurum Pergamenum in aerarium publicum redactum sit.

§ 71 seq. Decianus subscriptor in agris Apollidiniensium, qui erant perboni, praedia habere voluerat. In qua re Cicero ita cavillatur: *Omnino mallem — hic alicubi in Crustumino aut in Capenati paravisses. Verum esto: Catonis est dictum „pedibus compensari pecuniam." Longe est omnino a Tiberi ad Caicum, quo in loco etiam Agamemnon cum exercitu errasset nisi ducem Telephum invenisset; sed concedo id quoque: placuit oppidum: regio delectavit; emisses.* In his vereor ne *in loco* iisdem hominibus debeamus, qui supra *reprehendendum*, *testimonium* et alia multa inculcarunt. Nam nec Decianus neque Agamemnon circa Caicum erravit, sed uterque eorum errore ad Caicum pervenit, hic qui Troiam tenderet, ille qui melius agros in Italia paravisset. Itaque, ut perspiceretur quid orator Deciano et Agamemnoni commune esse diceret utque iocus ille intelligi posset, dicendum erat: *quo etiam Agamemnon errasset.*

Cicero omnem vim argumentationis in unum *emisses* conferre studens, cetera omnia quae longinquorum illae praediorum possessiones invidiosa habebant leviter tantum perstringit et malitiose excusare simulat: nam, » inquit, habet in se Caicus et Mysia nescio quid, quo fit ut homines eo praecipue errent: neque tu, Deciane princeps eo aut solus devenisti; Agamemnon etiam eodem errasset nisi Telephum ducem invenisset." Ceterum *quo Agamemnon errasset* non magis *παρὰ τὴν τῶν νεωτέρων ἱστορίαν*, ut Aristarchus loquitur, dicta sunt, quam *quo in loco Agamemnon errasset.* Verum Cicero non id agebat ut iudices antiquitates Graecas doceret; risum quaesivit, nihil amplius.

§ 72 seq. Malebat autem Decianus pingues Apollinidiensium agros malis artibus sibi parare quam nummis emere. *Amyntas est genere, honore, existimatione, pecunia princeps illius civitatis. Huius socrum, mulierem imbecilli consilii, satis locupletem, pellexit Decianus ad sese et, quum illa quid ageretur nesciret, in possessione praediorum eius familiam suam collocavit: uxorem abduxit ab Amynta praegnantem, quae peperit apud Decianum filiam, hodieque apud Decianum est et uxor Amyntae et filia. Numquid harum rerum a me fingitur, Deciane? Sciunt haec omnes nobiles, sciunt boni viri, sciunt denique nostri homines, sciunt mediocres negotiatores. Exsurge, Amynta; repete a Deciano non pecuniam, non praedia; socrum denique sibi habeat: restituat uxorem, reddat misero patri filiam. Membra quae debilitavit lapidibus, fustibus, ferro, manus quas contudit, digitos quos confregit, nervos quos concidit restituere non potest: filiam, filiam, inquam, aerumnoso patri, Deciane, redde. Haec Flacco non probasse te miraris? cui, quaeso, tandem probasti? Emptiones falsas, praediorum proscriptiones cum mulieribus aperta circumscriptione fecisti* etc. Nimis infinite dictum est et subinepte: *sciunt haec omnes nobiles*, nec erat res eiusmodi ut nobilibus praecipue nota esset vulgo ignorata. In Leid. 50. est: *sciunt haec homines nobiles*, quod probo. Ita haec referuntur ad conditionem hominum quos in causa Deciana defensor testes erat producturus. Cf. pro Quinctio § 25: *Testificatur iste P. Quinctium non stitisse et se*

stitisse; tabulae — signis hominum nobilium consignantur.

In *socrum denique sibi habeat*, ipse Cicero reprehendendus esse videtur, qui non viderit socrum illam *mulierem imbecilli consilii* adversario ita concessam, quasi prae ea vilia essent omnia praeter uxorem et filiam, aptiorem esse quae risum audientium excitaret, quam animos odio Deciani misericordia Amyntae commoveret. Si Decianum belle agitatum rideri voluisset dicere poterat »socrum tibi habe, pecuniam redde." Sed hominem facinorosum maiore quadam vi quam ridiculi vulnerare voluit. Melius igitur de socru siluisset.

Sed librariorum vitium tollendum superest. Nam Ciceronem scripsisse arbitror: *praediorum proscriptiones cum mulierum aperta circumscriptione fecisti.*

§ 74. Ridetur Deciani inepta gloriatio, qui hoc se caeteris accusatoribus superiorem esse putaret, quod se civitas Pergamena, ceteros Smyrnaea laudaret. *Num honestior est civitas Pergamena quam Smyrnaea? Ne ipsi quidem dicunt.* Repone: *dicent.*

§ 75 seq. In eodem loco de Pergamenorum laudatione interpunctio ostendit editores sententiam scriptoris non assecutos esse. Nam in: *Quare, Deciane, si cupidus es gloriae, alia ornamenta censeo quaeras: Pergameni te deriserunt. Quid? tu ludi te non intelligebas? Cum tibi haec verba recitabant »clarissimum virum, praestantissima sapientia, singulari ingenio," mihi crede, ludebant: cum vero coronam auream litteris imponebant, revera non plus aurum tibi quam monedulae committebant. Ne tum quidem hominum venustatem et facetias perspicere potuisti?* sic, ut simul vitiosum *plus aurum* corrigatur, scribendum est: *Quid? tu ludi te non intelligebas, cum tibi haec verba recitabant »clarissimum virum, praestantissima sapientia, singulari ingenio?" Mihi crede, ludebant. Cum vero coronam auream litteris imponebant, re vera non plus auri tibi quam monedulae committebant, ne tum quidem hominum venustatem et facetias perspicere potuisti?*

§ 88. Si Ciceronem audimus nemo Romanus in Flaccum

testimonium dixit nisi animo irato et iniquo. M. Lurco gravis testis in reum ad Flaccum in provinciam miserat de liberto quodam suo Septimii villico, qui villicus caedem fecerat. Flaccus *in Luronis libertum iudicium ex edicto dedit: hostis est Lurco. Quid igitur? hominum gratiosorum splendidorumque libertis fuit Asia tradenda? an simultates nescio quas cum libertis vestris Flaccus exercet? an in vestris vestrorumque causis severitas odio est, eandem laudatis, cum de nobis iudicatis?* Recte Halmius monet pro *exercet* legendum esse *exercebat.* Sed emendationem huius loci imperfectam reliquit. Ultima enim nihil significant, nisi *vestris* ad accusatores et testes in reum, *nobis* ad ipsum reum pertinere statuimus. Quandoquidem autem neque accusator nec testes iudicant, restituendum est: *cum de nobis iudicatur.*

§ 92. Falcidius itidem civis Romanus in literis ad matrem et sororem ex Asia missis quinquaginta se talenta Flacco dedisse dixerat. Mulieres et literae ab accusatore in iudicio producuntur, nam ipse Falcidius abest. *Sed tamen quis tibi, Laeli, de epistolis istis indicavit? Mulieres negant se scire, quis: ipse igitur ille tibi se ad matrem et sororem scripsisse narravit? an etiam scripsit oratu tuo?* In Leid. 50. est: *Mulieres negant se scire quis. Is ipse igitur ille*, et sic libri tantum non omnes: *scire quis is*, sive: *scire qui sis.* Unus Salisburgensis *scire. quis ipse igitur ille*, quem editores Orellianae II. ita sequuntur, ut punctum post *quis* transponant. Ego vero hic secundum maiorem numerum testium decernens lego: *Mulieres negant se scire qui sis. Ipse igitur ille tibi se — scripsisse narravit? an etiam scripsit oratu tuo?* Quamquam me magis rerum ratio movet, quam numerus testium. Nam primum in editis *quis* vitiosum est. Latinum est: *mulieres negant se scire.* Sed praeterea obscura sane et impedita huius rei ea est demonstratio: mulieres negant se scire quis tibi de epistolis indicaverit; ergo Falcidius ipse fecit. Multo apertius mihi dici videtur: mulieres se ignorare te dicunt: itaque eae non indicavere; ergo Falcidius indicavit. Ceterum illa mulierum hominis ignoratio non ita urgenda est quasi dixissent se numquam vidisse Laelium aut de eo audivisse. In

iudicio productae et ab adversario interrogatae, ecqua necessitudo aut familiaritas esset inter ipsas et accusatorem, id mulieres negasse censendae sunt. Earum verbis abutitur adversarius: *negant*, inquit, *se scire qui sis.*

Quum supra locos Livianos tractarem non erat ad manum ulla Livii editio praeter Teubnerianam anni MDCCCLIII. Postea cognovi iam I. Fr. Gronovium monuisse in L. XXII. 23. legendum esse *tardius erogaretur.* Itaque p. 149 seq. acta egi. Sed malui fatendo ipse merito negligentiae poenas dare, qui sero editionem Drakenborchianam inspexerim, quam disturbando opere iam emendato et ordine disposito typothetis immerito moram facere atque incommodo esse.

LECTIONES TULLIANAE.

SCRIPSIT W. G. PLUYGERS.

CAPUT V.

ORATIO PRO P. SULLA.

Sullana compluribus locis ex libris Tegernseensi et Vaticano insigniter emendata est. Restant tamen bene multa quae rectum iudicium respuit vitiosa atque corrupta. Pauca eius generis expromam simulque restituere conabor.

Sed primum locus in § 14. falsa suspicione liberandus est. Duae ab accusatore L. Torquato constituebantur coniurationes, una Lepido et Volcatio consulibus, altera post triennium ipso Cicerone consule. Harum in utraque Sullam dicebat fuisse. Prioris coniurationis suspicionem Hortensius perverterat; Cicero sui consulatus tempus defendit et crimen maximae coniurationis. Qua in re iure hoc primum ponit: *Multa, cum essem consul, de summis rei publicae periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi: nullus umquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullae litterae pervenerunt, nulla suspicio. Multum haec vox fortasse valere deberet eius hominis, qui consul insidias rei publicae consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset, cum is se nihil audisse de P. Sulla, nihil suspicatum esse diceret.* In his autem causa mihi suscipienda est verborum *nulla suspicio*, quae nonnullis non a Cicerone scripta, sed a magistro ex § 20 huc translata esse videntur. Equidem Sullam non satis defensum esse putarem, si is qui multa audivit nihil se de eo audivisse de-

clararet, nisi idem ille qui multa quaesivit et multa cognovit nihil se de eo non solum comperisse sed ne suspicatum quidem esse confirmaret. Sequentia etiam satis demonstrant verba *nulla suspicio* integra sententia abesse non posse; in quibus ut *nihil audisse* ad nuntios, indicia, litteras pertinet, sic *suspicatum esse* in superioribus requirit quo referatur nec potest absolute subiungi. Tantum igitur abest ut verbis *nulla suspicio* carere velim, ut potius credam pauca quaedam excidisse.

§ 16. Torquatus ut auctoritatem defensionis frangeret, Ciceronis inconstantiam et levitatem vehementius accusaverat, qui quum Autronium testimonio suo laesisset, Sullae defensionem, qui in eadem culpa versaretur, recepisset. Quam ob rem hanc veniam orator a iudicibus petit, ut patiantur in hac causa se cum rei periculi propulsatione coniungere defensionem sui officii. Itaque exponit quae fuerit Autronii causa, quae sit Sullae. In quibus haec sunt: *Quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod sine eodem illo Catilina facinus admisit? cum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem solitudinemque non quaereret, sed ne mediocri quidem sermone et congressu coniungeretur.* Quum confiteor diu me multumque cogitasse quid sit *sermo mediocris* aut *mediocris congressus*, nec tamen potuisse reperire, vereor ne multi me tardiorem esse iudicaturi sint. Cum ceteris qui in huius loci interpretatione haereant et corruptelam odorentur communicabo quid factum esse suspicer. Bis autem hic mihi peccatum esse videtur: primum a librario qui post *quidem* nomen *die* omiserit: tum a correctore qui adiectivum *medio* tribus litteris auxerit. Nam Ciceronem puto scripsisse: *cum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem solitudinemque non quaereret, sed ne medio quidem die sermone et congressu coniungeretur.* Oppositio inter *noctem solitudinemque* et *medium diem*, quam orator hic quaesivisse videtur, magis aures implet, quam sano rectoque iudicio omnia accurate ponderanti probatur. Verum eiusmodi genus dicendi ab Ciceronis ingenio non alienum esse censeo.

Non hoc uno loco *dem* et *die* ita scribarum oculos fefelle-

runt, ut alterutrum omissum sit. Apud Livium XXXVI. 3. in edicto: *qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, quique minores magistratus essent, ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret, quam unde eo die redire posset; neve uno tempore quinque senatores ab urbe Roma abessent:* contrario errore atque supra in Sullana *eo die* scribitur pro *eodem die*, quod reponendum est. Praeterea si veram edicti formam restitutam esse velis, utrumque *Roma* abiicies.

Ceterum quod loco Sullanae accidit, ut pro medicina vulnus super vulnus orationi sit inflictum, id Ciceronis scriptis crebro usu venit. Luculentissimum eius rei et certissimum exemplum praebet § 2. huius orationis, ubi bonorum librorum lectio est: *Sed ut ille vidit, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de huius praesidiis deminuturum, sic hoc ego sentio, si mei facti rationem vobis constantiamque huius officii ac defensionis probaro, causam quoque me P. Sullae probaturum.* In ceteris autem libris *vidit* in *iudices* abiit; tum, ut oratio procederet, post *deminuturum* aut *speravit* aut *putavit* interpolatum est. Bene hic locus ex melioribus libris in altera editione Orelliana restitutus est, nisi quod in *sic hoc ego* medium vocabulum auctore libro Vaticano abiiciendum erat; *sic ego* post *ut ille* ἐμφατικώτερον dictum est, quam ut interpositum *hoc* patiatur.

Meliorem fortunam locus ille in § 2 expertus est, quam alius qui in simili causa versatur, in § 20. Nam ut in utroque corrumpendo post leviusculum librarii peccatum maior culpa correctoris est, sic hoc alter locus altero felicior, quod in illo libri melioris notae veram scriptoris manum servarunt, in hoc omnes libri cuiuscunque generis in corrupta lectione conspirant. Legitur autem in § 20: *Atque idem ego neque P. Sullam supplicem ferre, neque eosdem Marcellos pro huius periculis lacrimantes aspicere, neque huius M. Messallae, hominis necessarii, preces sustinere potui; neque enim est causa adversata naturae, nec homo nec res misericordiae meae repugnavit.* Pertinent haec ad defensionem officii sui quam Cicero supra inchoaverat, multum interesse inter causam Sullae quem defenderet, et Autronii quem testimonio suo damnasset.

Duo autem sunt quae patronus rogatus ut reum defendat considerare debet. Nam et in crimen inquirendum est, quod, si est atrox et compertum atque manifestum, impudenter defenditur; et mores rei vitaque spectanda est, quae si improba est et facinorosa, turpiter causa suscipitur. Igitur, ut iterum eadem brevius dicam, *causa* spectanda est et *homo:* possum etiam dicere *res* spectanda est et *homo;* nam in hac re *causa* et *res* sine ullo discrimine poni video: *causa* a Cicerone in hac ipsa oratione § 18: *Propter hanc igitur tantam dissimilitudinem hominum atque causarum dissimilem me in utroque praebui: res* in libro I. ad Herennium § 9: *Tria sunt tempora quibus principio uti non possumus —: aut cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat* etc. — *Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem non hominem, aut hominem non rem spectari oportere* etc.

Iam considaremus locum Sullanae de quo quaerimus ibique, quod salva sententia fieri posse vidimus, aut *res* pro *causa* substituamus, aut *causa* pro *res*, in hunc modum: *neque enim est res adversata naturae, nec homo nec res misericordiae meae repugnavit;* aut: *neque enim est causa adversata naturae, nec homo nec causa misericordiae meae repugnavit.* Ecquis est qui haec ferre possit? Et feretur tamen tradita lectio, quoniam in varietate verborum *causa* et *res* vitium quo sententia laborat quodammodo dissimulatur et minus apparet? Sed est aliud corruptelae certissimum argumentum. Nam misericordia cadit in hominem non in causam sive rem. Ergone statim molestum *nec res* eiiciemus? Facillima hercle sanatio minimeque operosa, sed ita demum propria ac certa si demonstres, quemadmodum alicui in mentem venire potuerit addere quae abiicienda esse contendas. Velut in huius orationis § 19: *cum puerorum infantium cum matronarum ac virginum veniebat in mentem discrimen*, statim perspicio ignoratam constructionem genitivi in codice Bruxellensi peperisse *discrimen;* nec miror Leidensem 50 et alios libros in § 44 praebere: *Tu, cum tua vox numquam sit audita, cum indicio lecto, descripto, divulgato quieveris, tacueris, repente tantam rem enunciare audeas?* nam post-

quam ex *ementiare* factum erat *enunciare* oratio imperfecta erat, et *audeas* vel simile verbum requirere videbatur. Sed nostri loci diversa ratio est. Nihil excogitari potest cur cuiquam placere potuerit *nec res* inferre. Citius ergo dixerim hic, ut in § 2, 20, 44 quas supra tractavi, corruptam lectionem interpolationem peperisse. Itaque pro *nec res* rescribo *nec reus* et deleo *nec homo;* praeterea *est*, quod in optimis libris omittitur, ab Halmio monitus aptiore loco pono: *neque enim causa adversata naturae est, nec reus misericordiae meae repugnavit.*

Qui postquam *reus* in *res* transierat *nec homo* intulit recto ille quidem ductus est iudicio. Vidit enim quid post argumentum ex causae genere petitum sententia requireret ut plena atque integra esset; sed eumdem fugit *res* in praecedenti *causa* iam esse praeceptum. Quod si perspexisset *nec res* sine dubio delevisset. Atque ita hodie doctissimus quisque et intelligentissimus existimator sermonis Ciceroniani sine ulla offensione aut suspicione legeret quod corrector refecisset. Quod in quam multis locis usu veniat quis pronuntiare audeat?

Ceterum meam suspicionem quodammodo confirmat varia optimorum librorum lectio incertaque sedes illorum verborum quae interpolata esse puto. Nam in Vaticano legitur *nec res nec homo*, in Tegernseensi, quem sequuntur libri ceteri omnes, inverso ordine scribitur *nec homo nec res.*

§ 40. Ex indicio Allobrogum, quod consul Cicero statim postquam in senatu factum erat perscribendum ac deinceps describendum et divulgandum curaverat, accusator crimen in reum quaesiverat; sed ita a defensore refutatus erat ut quod responderet non haberet. *Exclusus hac criminatione Torquatus rursus in me irruit, me accusat: ait me aliter ac dictum sit in tabulas publicas rettulisse.* Equidem Ciceronem post *in me irruit* non puto adiecisse *me accusat.* Quamquam qui aliter sentiant iis ut suo iudicio utantur libenter concedo. Quos non magis possum ego argumentis cogere ut Ciceronem ita non scripsisse mecum sentiant, quam ipsi ita eum scripsisse rationibus pervincere. Sed erunt fortasse qui meam rationem probent. Quibus gratum erit me meum iudicium significasse.

Saepe enim fit ut inter legendum praetervideriimus quod moniti statim improbemus.

§ 46 sqq. Superbe ac fastidiose orator Torquati retundit petulantiam. *Mihi hoc credas velim: non iis libentissime soleo respondere, quos mihi videor facillime posse superare. Tu quoniam minime ignoras consuetudinem dicendi meam, noli hac lenitate nova abuti mea; noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari; noli id omnino a me putare esse amissum, si quid est tibi remissum atque concessum. Cum illae valent apud me excusationes iniuriae tuae, iratus animus tuus, aetas, amicitia nostra, tum nondum statuo te virium satis habere, ut ego tecum luctari et congredi debeam. Quod si esses usu atque aetate robustior, essem idem qui soleo, cum sum lacessitus: nunc tecum sic agam tulisse ut potius iniuriam quam rettulisse gratiam videar.* Malim *quia reconditi sunt.* Ita enim haec referuntur ad animum Torquati, cui lenitas Ciceronis nescio quos spiritus attulisset. Potest tamen librorum lectio sine gravi incommodo retineri.

Aliter iudico de exitu loci quem adscripsi, qui tam obscurus est, ut non videatur interpretando posse explanari. Nam quid in Ciceronem contulit Torquatus beneficii, cuius ille gratiam referre deberet? aut quid hoc loco significare potest »nunc tecum sic agam ut lenis potius videar qui tuam iniuriam feram, quam gratus qui gratiam tibi non referam." Sententia huius loci longe diversa requirit, quae meis verbis ita comprehendo: »In te, Torquate, lenitatis laudem quaerere malo quam ingenii; itaque lacessitus non repugnabo, nec par pari referam aut etiam gravius, quod facile possum: sed parcendo tibi dignitatem meam servabo." Haec ipsa autem Ciceronis verbis mihi inesse videntur, modo *gratiam* deleas: *nunc tecum sic agam tulisse ut potius iniuriam quam rettulisse videar.* Videtur orator quaerens annominationem verborum *tulisse* et *rettulisse* insolentius esse locutus. Conferri potest pro Caecina § 85. *Velim recuperatores — sic existimetis — huius rationis non modo non inventorem sed ne probatorem quidem esse me, idque me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni rettulisse.* Quamquam loci nostri

paulo diversa ratio est. Nam *referre iniuriam* pro rursus inferre Ciceronem non dicturum fuisse puto nisi certa causa fuisset cur *rettulisse* quam aliud verbum ponere mallet.

§ 67 sqq. Ex ipsius Ciceronis epistola de rebus suis gestis et de summa re publica ad Cn. Pompeium missa accusator demonstrare conatus erat Sullam quoque fuisse in priore illa coniuratione Catilinae. *Scilicet ego is sum qui existimem Cn. Pisonem et Catilinam et Vargunteium et Autronium nihil scelerate, nihil audacter ipsos per sese sine P. Sulla facere potuisse. De quo etiam si quis dubitasset antea num id quod tu arguis cogitasset, interfecto patre tuo consule descendere Kalendis Ianuariis cum lictoribus, sustulisti hanc suspicionem, cum dixisti hunc, ut Catilinam consulem efficeret, contra patrem tuum operas et manum comparasse. Quod si tibi ego confitear, tu mihi concedas necesse est, hunc cum Catilinae suffragaretur, nihil de suo consulatu quem iudicio amiserat per vim recuperando cogitavisse: neque enim istorum facinorum tantorum, tam atrocium crimen, iudices, P. Sullae persona suscipit. Iam enim faciam, criminibus omnibus fere dissolutis, contra atque in ceteris causis fieri solet, ut nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam.* Levis error scribae facit ut *neque enim istorum facinorum* etc. cum superioribus cohaerere videantur. Ab hoc principio locus de vita ac moribus Sullae inchoatur. Post colon et, si nostram scribendi consuetudinem sequi velimus, a linea scribendum est: *Neque etiam istorum facinorum* etc.

§ 73. In novo illo loco legimus: *Quid reliquam constantiam vitae commemorem, dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis? quae ita deformata sunt a fortuna, ut tamen a natura inchoata compareant. Quae domus! quae celebratio quotidiana! quae familiarium dignitas! quae studia amicorum! quae ex quoque ordine multitudo! Haec diu multumque et multo labore quaesita una eripuit hora.* Qua ratione hic domus mentio inferri possit non assequor. Nam sive ponitur de aedibus sive intelligenda est de familia, neutrum ad splendorem ac dignitatem vitae urbanae pertinet, quae in Sulla antea fuisse significantur. Suspicor Ciceronem

scripsisse: *quae domestica celebritas quotidiana.* Apponam locum ex oratione in Pisonem, unde optime cognoscitur quibus rebus dignitas civis Romani compareat, § 64: *Num etiam in hac quotidiana assidua urbanaque vita splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam, operam forensem, consilium, auxilium, auctoritatem, sententiam senatoriam nobis aut, ut verius dicam, cuiquam es infimo ac despicatissimo antelaturus?*

§ 88. Levius est quod in pulcherrimo loco perorationis corrigere velim: *Nihil video esse in hoc P. Sulla, iudices, odio dignum, misericordia digna multa. Neque enim nunc propulsandae calamitatis suae causa supplex ad vos, iudices, confugit, sed ne qua generi ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur. Nam ipse quidem, si erit vestro iudicio liberatus, quae habet ornamenta, quae solatia reliqua vitae, quibus laetari ac perfrui possit? Domus erit, credo, exornata; aperientur maiorum imagines; ipse ornatum ac vestitum pristinum recuperabit. Omnia, iudices, haec amissa sunt; omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt.* Scribendum est: *quae habebit ornamenta.*

ORATIO DE PROVINCIIS CONSULARIBUS.

Multum operae in hac oratione emendanda viros doctos posuisse constat, prae ceteris Nic. Madvigium virum clarissimum: qui tam praeclare hanc rem gesserunt, ut raro aliquid ab iis praetermissum esse censeas, aut ab eorum sententia discedendum. Sunt tamen pauca quaedam utriusque generis. Velut in loco de flagitiosa Pisonis provinciae administratione § 8: *Huic vos non summittetis? hunc diutius manere patiemini? cuius, ut provinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certavit, ut nemo posset, utrum protervior an infelicior esset, iudicare:* non satis prudenter novissimi editores Lambini coniecturam *protervior* recepisse videntur. Requiritur adiectivum quod praecedenti substantivo *improbitate* accurate respondeat

totumque genus improbitatis comprehendat. Improbitas autem ita a protervitate differt, ut hoc certi cuiusdam vitii nomen sit, illud omnium. Quamquam ego librorum *posterior* non suscipio. Nam etiamsi homines improbissimi latine dicuntur »postremi" homines, inde non sequitur, ut qui altero improbior est recte dicatur eo esse »posterior." Unum solum verbum invenio quod propter praemissum *cum improbitate* huic loco accommodatum sit. Est ipsum adiectivum unde derivatur substantivum *improbitas*. Itaque lego: *utrum improbior an infelicior esset.* Primam syllabam vocabuli *improbior* librarii post exitum antecedentis *utrum* omisisse videntur; tum in scriptura evanida ex *pbior* extricaverunt *pt'ior* scripseruntque *posterior.*

§ 10. Gabinio, Pisonis in consulatu collegae, qui Syriam provinciam obtinebat, praeter rem publicam male in bello gestam obiicitur avaritia, superbia, crudelitas in publicanos; quos ita afflixit atque evertit, ut perniciem effugere nequeant, nisi senatus auxilium ferat ac vectigalia cum insigni rei publicae incommodo remittat: *Iam vero publicanos miseros — tradidit in servitutem Iudaeis et Syris, nationibus natis servituti. Statuit ab initio et in eo perseveravit ius publicano non dicere: pactiones sine ulla iniuria factas rescidit, custodias sustulit, vectigales multos ac stipendiarios liberavit; quo in oppido esset aut quo veniret, ibi publicanum aut publicani servum esse vetuit. Quid multa? crudelis haberetur, si in hostes animo fuisset eo, quo fuit in cives Romanos, eius ordinis praesertim, qui est semper dignitate sua, benignitate magistratus sustentatus.* Suspicor post *semper*, cuius ultima syllaba per compendium scripta esset, excidisse persimile compendium praepositionis *pro: qui est semper pro dignitate sua benignitate magistratus sustentatus.* Quaeritur enim oppositio inter publicanorum conditionem in Gabinii provincia et eam conditionem qua in ceteris provinciis semper fuerunt. Discrimen autem non in publicanorum dignitate positum est, sed in animis magistratuum. Nam sua dignitate publicani in Syria non minus sustentabantur quam alibi: sed eo in Gabinii provincia deteriore erant conditione, quod ibi dignitas iis benignitatem magistratus non conciliabat.

§ 13. *Hos vos de provinciis, si non aliquando deducendi essent, deripiendos non putaretis? et has duplices pestes sociorum, militum clades, publicanorum ruinas, provinciarum vastitates, imperii maculas teneretis? At iidem vos anno superiore hos eosdem revocabatis, cum in provincias pervenissent.* Dudum ex libro manuscripto Perizonii Fol. 12. correxi: *cum vix in provincias pervenissent*, qui liber, ut Bruxellensis, habet *cum vi in prov.* Hic editorum religionem non reprehendere non possum, qui iudicium suum ita quibusdam codicum familiis mancipatum habuerunt, ut veram lectionem ab ipsis in alius librorum familiae vitiosa lectione repertam in marginem relegarint. In hoc certe loco debebant audaciores esse: nam si *vix* omittitur sententia otiosa est et non ferenda. Id sensisse videntur qui olim scripserunt: *cum in provincias iam pervenissent;* quamquam improprium remedium adhibuerunt. Ceterum non hoc uno loco *vi* et *vix* confunduntur. Iterum libros variare videbis in Catone § 71.

§ 22. Cicero, qui Pisonem et Gabinium sententia sua revocabat Caesarem in provincia retinebat, aliter censuit quam inimicis Caesaris placere poterat. Interrupta est eius oratio interpellatione cuiusdam senatoris, qui negabat eum inimiciorem Gabinio debere esse quam Caesari, quo adiutore atque impulsore ante biennium patria expulsus fuisset. Cui Cicero ita respondet, ut dicat se communis utilitatis habere rationem potius quam doloris sui; idque se facere exemplo fortissimorum et clarissimorum civium. Tum commemorat exempla multorum virorum qui iustissimas inimicitias cum bene meritis civibus deposuerint. Postremo loco ponit quod in ipso fecerat Q. Metellus. *Quid? Q. Metellus Nepos nonne consul in templo Iovis optimi maximi permotus cum auctoritate vestra, tum illius P. Servilii incredibili gravitate dicendi absens mecum summo suo beneficio rediit in gratiam?* Quamquam omnes omnium familiarum libri conspirant, tamen rescribendum est: *tum illa P. Servilii incredibili gravitate dicendi.* Eamdem rem Cicero pluribus verbis exponit in Sestianae § 130, cuius partem adscribam, ut recte me supra scribere *illa* ipsius Ciceronis auctoritate confirmem: *collacrimavit vir egregius ac vere*

Metellus totumque se P. Servilio dicenti etiam tum tradidit, nec illam divinam gravitatem plenam antiquitatis diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere et mecum absens beneficio suo rediit in gratiam.

§ 29. Sed nihil erat quod in hac causa maxime homines sive virtutem Ciceronis et animi magnitudinem admirarentur, sive inconstantiam reprehenderent. Nam idem antea quum ageretur de ornando Caesare, de supplicatione, de stipendio exercitus, de decem legatis, ita locutus erat, ut omnes intelligerent, eum id quod rei publicae causa sentiret facere uberius propter ipsius Caesaris dignitatem. *At ego idem nunc in provinciis decernendis, qui illas omnes res egi silentio, interpellor, cum in superioribus causis hominis ornamenta fuerint, in hac me nihil aliud nisi ratio belli, nisi summa utilitas rei publicae moveat. Nam ipse Caesar quid est cur in provincia commorari velit, nisi ut ea, quae per eum affecta sunt, perfecta rei publicae tradat? Amoenitas eum, credo, locorum — retinet. Quid illis terris asperius — inveniri potest? An reditus in patriam habet aliquam offensionem? Utrum apud populum, a quo missus, an apud senatum, a quo ornatus est? an dies auget eius desiderium, an magis oblivionem, ac laurea illa magnis periculis parta amittit longo intervallo viriditatem?* Requiro exempla in quibus sententia interrogativa disiunctiva, qualis est »utrum dies auget eius desiderium, an magis oblivionem?" ita per *an* superioribus annectatur, ut formam habeat quam supra videmus: *an dies auget eius desiderium, an magis oblivionem?* Utique Graevianae editionis interpunctio revocanda erat: *an dies auget eius desiderium? an magis oblivionem, ac laurea illa magnis periculis parta amittit longo intervallo viriditatem?* Ita enim orator in eadem oratione permanet quam in superioribus inchoavit et sententiae adversariorum interrogatione comprehensae ipse interrogationem reponit. Quamquam fieri potest ut Cicero totum locum paulo aliter scripserit. Erat enim quum suspicarer antiquos librarios ante oculos habuisse: *At reditus in patriam habet aliquam offensionem. Utrum apud populum, a quo missus, an apud senatum, a quo ornatus est? At dies auget eius desiderium. At magis oblivionem etc.;* nec

dum eam sententiam prorsus abiicio. Exempla duplicatae particulae *at*, ut altera sit adversantis (*at dies auget eius desiderium*), altera redarguentis (*at magis oblivionem*), dabit F. Hand in Tursellino Vol. I. p. 454.

§ 32. *Bellum Gallicum, patres conscripti, C. Caesare imperatore gestum est, antea tantummodo repulsum. — Ipse ille C. Marius — influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbes sedesque penetravit. Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pomptinus, fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione excitatum proeliis fregit eosque domuit qui lacessierant, et ea victoria contentus re publica metu liberata quievit. C. Caesaris longe aliam video fuisse rationem: non enim sibi solum cum iis, quos iam armatos contra populum Romanum videbat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram dicionem esse redigendam.* Quae Marius, Pomptinus in re Gallica fecerunt ita componuntur cum iis quae non fecisse dicuntur, ut ex his maxime appareat qua in re Caesaris administratio belli a superiorum ratione distet. Hi repulerunt qui lacessierant, non ultro bellum intulerunt: Caesar fecit utrumque. Itaque quae superiores imperatores fecisse et quae non fecisse dicuntur ea in oratione non coniungenda sunt sed seiungenda recteque scribitur de Mario: *Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbes sedesque penetravit:* ubi vitiosum esset *neque ipse — penetravit.* Verum eadem ratio tenenda erat in loco de Pomptino. Ergo scribendum est: *C. Pomptinus — domuit qui lacessierant, sed ea victoria contentus — quievit.*

§ 33. *Semitam tantum Galliae tenebamus antea, patres conscripti: ceterae partes a gentibus aut inimicis huic imperio aut infidis aut incognitis aut certe immanibus et barbaris et bellicosis tenebantur: quas nationes nemo umquam fuit quin frangi domarique cuperet: nemo sapienter de re publica nostra cogitavit iam inde a principio huius imperii, quin Galliam maxime timendam huic imperio putaret* etc. Nexus sententiarum hic est: nemo umquam fuit quin Gallos domari cuperet; nam aut

inimici sunt, aut infidi, aut incogniti, aut certe immanes et barbari et bellicosi. Locum autem accurate consideranti non statim constabit utrum post *aut inimicis*, *aut infidis*, *aut incognitis* quartum membrum adiiciatur *aut certe immanibus et barbaris et bellicosis*, ita ut *aut incognitis* per se sit efferendum: an haec ita coniungenda sint, ut *aut incognitis aut certe immanibus et barbaris et bellicosis* pro uno membro habenda sint in cuius parte altera prior pars explicetur et corrigatur. Utramcunque rationem sequeris haerebis in interpretatione. Nam si *aut incognitis* per se pro tertio membro est, hanc sententiam loco inesse tibi statuendum erit, ut significetur Gallos esse domandos quia partim sint incogniti. Id autem oratorem voluisse nemo cuiquam credat. Verum praeterea in eiusmodi oratione sine sensu in quarto membro ponitur *aut certe.* Eae enim particulae locum suum habent, si ostendis te dare ac remittere maiora quae posueris, sed minora quae adiungas omnino pro veris habenda esse censere. Ponuntur igitur in gradatione ubi a maioribus ad minora descenditur. Itaque recte dicitur: domandi sunt Galli, quia sunt aut inimici aut infidi, aut certe immanes et barbari et bellicosi; nam ita descenditur ad minora: est enim levior sane causa cur eos domitos esse cupias immanitas et barbaries et ferocia, quam animus inimicus atque infidus. Verum interposito »aut incogniti" ante »aut certe immanes" in quarto membro adscenditur ad maiora; nam maior certe periculi metus est ab gente quam scias esse immanem et barbaram et bellicosam, quam ab gente quae cuiusmodi sit ignores. Ergo si *aut ignotis* per se pro tertio membro est, *aut certe* sine sensu quarto membro praeponitur. Nam ita non erit descensus ad minora sed adscensus ad maiora, in quo genere orationis illae particulae non usurpantur.

Atque ob eandem causam altera interpretandi ratio improbanda videtur, qua *aut incognitis aut certe immanibus et barbaris et bellicosis* uno membro comprehenduntur. Potest enim, si causa id postulat, inverso ordine dici: Galli domandi sunt, gens immanis et barbara et bellicosa, aut certe incognita. His enim inest ea gradatio quam *aut certe* significare solet. Nam populi incogniti metum incutere possunt, quia nec de animo

eorum in finitimos nec de multitudine ac copiis constat; sed hic metus incertus sine dubio minor est quam certus ille, quem praebet gens immanis et barbara et bellicosa. Verum quo ordine haec apud Ciceronem leguntur aut sententia vitiosa efficitur, aut *aut certe* positum est contra sermonis consuetudinem.

Ego levi mutatione haec expediri posse puto. Lego *aut incognitis, at certe immanibus et barbaris et bellicosis*, hoc sensu: Galli sunt aut inimici, aut infidi, aut incogniti; sed quos non novimus certe pro natura atque indole gentis sunt immanes et barbari et bellicosi, ac propterea timendi.

§ 36. *Nam illae sententiae virorum clarissimorum minime probandae sunt, quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. Qui ulteriorem, omnia illa, de quibus disserui paulo ante, perturbat: simul ostendit eam se tenere legem, quam esse legem negat —: simul et illud quoque facit, ut quod illi a populo datum sit id non violet, quod senatus dederit, id senator properet auferre. Alter belli Gallici rationem habet, fungitur officio boni senatoris: legem quam non putat eam quoque servat; praefinit enim successori diem. Quo mihi nihil videtur alienius a dignitate disciplinaque maiorum* etc. Scripsi de Madvigii sententia *eam se tenere legem* pro librorum *eam sentire legem*, et: *quo mihi nihil videtur alienius a dignitate disciplinaque maiorum* quod idem vir doctus egregie restituit: nam libri praebent, qui quidem sunt melioris notae: *quo mihi nihil videtur minus a dign. disc. mai.;* alii vero correcti scilicet, in quibus est Leid. 50, *quo mihi n. v. minus a dign. disc. maiorum dissidere.* Hoc iterum correxit Lambinus deditque pro *minus magis*, quem sequitur Orelliana I. Novissimi editores Madvigio obtemperarunt. Sed ita locum nondum perpurgatum esse existimo. Etenim tres afferuntur causae cur prioris sententia improbanda sit: quod belli Gallici rationem perturbet, quod legem Vatiniam quamquam legem non esse putet tamen servet: quod non sit boni senatoris quam provinciam senatus decrerit auferre, quam populus dederit non tangere. Horum incommodorum alterius sententia unum habere dicitur, quod servetur lex Vatinia, ceteris

autem carere. Itaque quod in huius sententia incommodum esse dicitur, id necessario disiungendum est ab iis quae idem utiliter censuisse iudicatur. Ergo ante *legem* revocandum est *sed.* Tum in proximis tollatur asyndeton et duplicentur verbi *habet* litterae duae postremae: *habet et fungitur.* Vitiosum est praeterea: *legem quam non putat eam quoque servat.* Nam agitur de una lege Vatinia. Sententia requirere videtur ut scribatur *eam is quoque servat:* i. e. alter aeque ac prior ille legem Vatiniam servat. Totum locum ita scribo: *Alter belli Gallici rationem habet et fungitur officio boni senatoris: sed legem quam non putat eam is quoque servat.*

§ 39. *Nam ut C. Iulius omnibus a senatu eximiis aut novis rebus ornatus per manus hanc provinciam tradat ei cui minime vos velitis, per quem ordinem ipse amplissimam sit gloriam consecutus ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad suspicandum nullo modo possum.* Iniuria deteriorum librorum lectio *ac novis rebus*, (ita certe habet Leid. 50) spreta est prae ceterorum *aut novis rebus;* nam qui novi honores in Caesarem collati erant, iidem eximii erant. Itaque facio cum Orellio qui edidit *ac novis rebus.* Tum videndum erit annon in omnium librorum quotquot quidem novimus archetypo *et* ante *per quem* exciderit. Particula coniunctiva quamquam in nullo libro exstare traditur, mihi quidem necessario videtur restituendum: *et per quem ordinem* etc.

§ 42. Cicero ut quorumdam interpellationibus respondeat, atque apud ceteros se purget qui tacita existimatione eum reprehenderent, in peroratione breviter explicat quae sibi sit ratio et causa cum Caesare. Itaque, dum se ipsum inconstantiae culpa liberare conatur, Caesaris acta, etiam ea quibus ipse eversus esset, defendere aut certe excusare cogitur. *Traduxit ad plebem inimicum meum, sive iratus mihi, quod me secum ne in beneficiis quidem videbat posse coniungi, sive exoratus.* Iterum cum Orellio omnium librorum *in* ante *beneficiis* abiiciendum erat. Is enim secum alterum *in beneficiis* coniungit, qui cum eo in alium beneficia confert. Superiora satis demonstrant eam huius loci sententiam non esse. Caesar

Ciceronem non in beneficiis sed *beneficiis* secum coniungere voluerat: § 41: *Consul ille egit eas res, quarum me participem esse voluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat. Me ille ut quinqueviratum acciperem rogavit: me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit: mihi legationem quam vellem quanto honore vellem detulit; quae ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiae repudiavi.*

EURIPIDIS FRAGMENTUM EX ANTIOPE RESTITUTUM.

M. Antoninus *ἐν τοῖς εἰς ἑαυτόν* VII. 38 sqq. annotavit sibi praeclara quaedam dicta poëtarum, in quibus adversus vitae casus praesidium aut solatium in malis inesset. Caeteri loci noti et decantati sunt ex Euripide fere omnes sumti. Unus est non aliunde notus in § 41:

εἰ δ' ἠμελήθην ἐκ θεῶν καὶ παῖδ' ἐμώ,
ἔχει λόγον καὶ τοῦτο.

Quod eram suspicatus Antiopae haec verba esse ex cognomine Euripidis fabula egregie confirmavit locus Stobaei in Floril. XCVIII. 38.

Εὐριπίδου Ἀντιόπης.

Ἔχει λόγον καὶ τοῦτο· τῶν πολλῶν βροτῶν
δεῖ τοὺς μὲν εἶναι δυςυχεῖς, τοὺς δ' εὐτυχεῖς.

Ecquis enim dubitare potest quin disiecti membra poëtae in hunc modum sint coniungenda:

εἰ δ' ἠμελήθην ἐκ θεῶν καὶ παῖδ' ἐμώ,
ἔχει λόγον καὶ τοῦτο· τῶν πολλῶν βροτῶν
δεῖ τοὺς μὲν εἶναι δυςυχεῖς, τοὺς δ' εὐτυχεῖς.

C. G. C.